L.B. Holthuis
1947

IOANN. IONSTONI
HISTORIAE NATVRALIS
DE
EXANGVIBVS AQVATICIS
LIBRI IV
TABVLIS VIGINTI
AB ILLO CELEBERRIMO
MATHIA MERIANO
AERI INCISIS ORNATI
EX SCRIPTORIBVS TAM ANTIQVIS,
QVAM RECENTIORIBVS
MAXIMA CVRA COLLECTI
QVOS
OB RARITATEM DENVO INPRIMENDOS
SVSCEPIT F. C. V. Wallmoden 1767. 3.

FRANCISCVS IOSEPHVS ECKEBRECHT
BIBLIOPOLA HEILBRVNNENSIS
MDCCLXVII.

HISTORIAE NATVRALIS

DE

EXANGVIBVS AQVATICIS

LIBER I.

DE MOLLIBVS, SEV MOLLVSCIS.

TITVLVS I.

De Molluſcis in genere.

Ariſt. H. A. l. 1. c. 4. et 8. l. 4. c. 1.

QVATVOR Exanguium genera Ariſtoteles conſtituit, *Mollia*, nempe ſeu *Molluſca*, quae carne molli foris obducta, ſolidum interius modo ſanguinei generis continent. *Cruſtata*, quae cruſtis colliſis teguntur. *Teſtacea*, quae teſtis duris fragilibus muniuntur, et *Inſecta*, quae Graeci ἔντομα dixere, *Zoophyta*, hiſce adnumerari meliori jure poſſunt, quam ut inter plantas, numerentur.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 1.

Nomen.

Molluſca praemittimus, tum quod nobiliora ſint, et partium numero ac robore longe praecellant; tum quod idem Ariſtoteles et Plinius fecerint. Nec male Aquatica Piſcibus ſubjungentur, cum et Plinio, ea, piſces nuncupare placuerit. Molluſca ſeu μαλάκια dicuntur, quod neque aſperam, neque teſtaceam cutem, neque ſquammam habeant, Athenaeus τευθώδη, ſeu Loligini ſimilia dixit. Dici et μαλακόδερμα Gazae et Rondeletio viſum: deceptos, et Cartilaginea Ariſtoteli talia dici Salvianus oſtendit.

Plin. H. N. l. 9. c. 28.

Galen. de Alim. facult. l. 3.

Ariſt. de Gener. l. 1. c. 10.

Deſcriptio.

Ariſtot. de part. l. 2. c. 8.

Naturam inter carnem et nervum mediam obtinent: fiſſilis haec, in anfractum, ut ad vires commodior eſſe poſſit: loco oſſium, quod piſcium ſpinis proportionetur omnia, Polypum ſi excipias. *Exteriores partes* tres praecipue habet *Caput*, *pedes* ſive brachia, quos Ariſtoteles quandoque πλεκτάνας, Gaza crura, barbas, cirros vocat, et τὸ κύτος ἀδιόριστον, id eſt, *alveum indiſcretum.* *Caput* omnibus inter pedes et ventrem, ſeu ut Ariſtoteles, ἐν μέσῳ τῶν πόδων τῶν καλουμένων πλεκτανῶν. In capite *Os* eſt et bini *dentes*, qui potius, cum immobiles ſint, neque ad retinendam praedam firme innitantur, ῥύγχος ſeu roſtrum dicendi ſunt. Eſt enim haec pars, (os et dentes) adunco carnivorarum roſtro perquam ſimilis, ex duabus partibus compoſita, ſuperiore et inferiore commiſſura pyxidata, ut loquitur Rondeletius, ita ut inferior ſuperiori inſeratur. Loco *linguae* carnoſum quiddam in ore gerunt, quo eſculentorum voluptatem diſcernunt. In capite *oculos* bi-

Plin. H. N. l. 9. c. 28.

Ariſtot. de part. l. 4. c. 5.

nos

nos grandiusculos, quibus exigua quaedam cartilago, discrimen cerebrum parvulum continens, praestat. *Pedes* habent parti priori, circum caput, infra oculos circa os et dentes vinctos, quod pars ejus posterior ad priorem adducta sit, extremaque coëant ac confundantur, hinc fit ut excrementa meatu ori vicino infra emittant. Octoni hi sed singulis eorum generibus diversi. *Acetabula* sunt quibusdam, cirramentaque, implicamentis illis, quibus digitos antiqui medici indere solebant, similia fibris implexa, quibus caruncula caeteraque cedentia trahunt. Aliis breves et inutiles, binaeque promuscides praelongae, quibus veluti anchoris innituntur, seque contra aestus marinos navigii modo stabiliunt. *Fistulam*, supra caput, et brachia ante alveum, gerunt, cavam, quam modo in dextram modo in sinistram partem transferunt, et hac, mare transmittunt. Aristotele haec modo, αὐλὸς modo μυκτήρ. Gesnerus φυσητῆρα legit, Gaza et Plinius narem transtulere. *Pinnulam* quoque habent circumdantem alveum, ut natare, et se in natando dirigere possent.

Arist. H. A. l. 4. c. 1. l. 8. c. 2.
Plin. H. N. l. 9. c. 12.
Aristot. de part. Anim. l. 4. c. 10.

Alveus a capite amplioris capacitatis propendet, cujus caro non in directum, sed id orbem fissilis et cute integitur. Cutem tamen Salvianus denegat, et Plinius, nulla, Polypos vestiri scribit. *Capillamenta* in toto eorum latere conspiciuntur, quorum is, qui branchiarum in aliis piscibus, usus. Scholiastes Nicandri ὀςλίγγας, Aristoteles τριχώδη vocat. *Interiora* si spectes. Os *gula* excepit angusta, quam sequitur ingluvies, πρόλοβος, ampliuscula, neque avibus absimilis, cui jungitur *venter*, tanquam ἤνυστρον facie buccinorum claviculae.

Plin. H. N. l. 9. c. 12.

Intestinum ab eo tenue, partem versus repens superiorum ad os fertur, quod laxius est quam gula. De *Cerebro*, vel quod ipsi proportione respondet, superius diximus, *vesica* carent. *Mutis* adhuc superest, quam Aristoteles, principatum sentiendi obtinere dicit, ac si haec cordi esset ἀνάλογος. Humida ea et corpulenta pars per quam gula in ventrem pertendit, adnata magis tergo. Ater humor, quem quidam τὸν θόλον, alii ut Athenaeus et Dioscorides τὸ μέλαν vocant, pro sanguine ipsis inest, si Plinio credimus: pro bile, ut Rondeletio placuit. Non solet, scilicet, natura, id quod pro sanguine servat, in quolibet metu effundere: nec ullus meatus venae proportione respondet, quo alendi corporis causa in universum corpus distribuatur. Secretus is ab alimento in vesica, seu tunica membranea; Aristoteles μήκωνα, Gaza Papaver appellavit; exitum finemque habente, qua alvi excrementa emittunt, parte quae fistula vocatur, quae in supinis posita est.

Aristot. de partib. l. 4.
Plin. H. N. l. 9. c. 29.

Locus. *Arist. H. A. l. 9. c. 28.*

In salsis aquis degunt: sed in potulentioribus non inveniuntur, ideo frustra in Ponto quaeras.

Cibus. *Arist. H. A. l. 4. c. 1. de Gener. l. 1. c. 1. et 3.*

Vescuntur carnibus. Nec *sexus* ipsis denegatus. Aristoteles enim vulvas bifidas, ac testes geminos juxta genitale in omnibus reperiri ait.

Sexus.

Differunt foeminae a maribus, quod mas prona sui corporis nigriora supinis, partesque omnes asperiores habeat quam foemina, et lineis intervenientibus varias, caudamque acutiorem. In mare quoque meatus quidam subditus gulae, a Cerebro in ima alvei pertendit, idque ipsum ad quod fertur, speciem mammae imitatur: in foemina duplex illud idem, supraque positum habetur.

Generatio.

Generationem quod spectat, Tergis copulari, et diu in venere, quia frigida, morari, compertum. Ore coire, et renixu atque complexu mutuo brachiorum jungi, prodidit alibi Aristoteles.

Arist. de Gener. l. 1. c. 15. et l. 3. c. 8.

Semen per meatum emittunt, idque parte corporis supina, qua *putamen* distat, et mare illabitur, faciunt. Continent foeminae primo ova indiscreta, mox discreta in plura: sed quia imperfecta excluduntur, augescunt more vermium, postquam vim vitalem ab asperso maris semine accepere. Sic glutino uvae instar cohaerent, et quam primum vitale virus attigere, animalcula ex iis nascuntur.

De

De *ſenſibus* nullum eſt dubium. Dormire et ſomniare apud Ariſtotelem habemus.

Uſus. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 14. Ariſt. de Gen. l. 1. c. 19.*

Apponebantur olim menſis; et probabantur maxime gravida. Nec nunc a culina exulant, quaedam Polyporum genera ſi excipias. Succum ſalſum exiguum crudum copioſum habere ſcripſit Galenus. Flatus parere, elixataque probiora effici, quod humor noxius eluatur, Diphilus. Ova an aliquando in cibo fuerint, dubium.

Galen. l. de boni et mali ſucci cibis.

TITVLVS II.

DE MOLLIBVS IN SPECIE.

CAPVT I.

De Polypo.

Tab. I. 1. *Alrovand. Exangu. l. 1. c. 2.*

TANTVM de Molluſcis in genere ſufficiat, jam in ſpecie de iis agemus. Numerantur autem inter ea, *Polypus*, *Sepia*, *Loligo*, quibus *Leporem marinum* adjicimus.

Nomen.

Polypus, qui pro ratione Dialectorum, πολύπους, πουλύπους, πούλυπος, πώλυπος, et πώλοψ vocatur, a multitudine pedum, nomen ſortitus eſt. Antiphyllus Byzantius in quodam Epigrammate πουλυπόδην dixit. Lacones ἀνόστεον, alii ὄνον, ſeu aſinum marinum, infimae aetatis Graeci Octapodia, ſeu Octapodos vocavere.

Deſcriptio. *Ariſtot. de part. l. 2. c. 8. Athen. Dipnoſoph. l. 7. Ariſtot. de part. l. 4. c. 5. Ariſt. H. A. l. 9. c. 37. Athen. Dipn. l. 7. Ariſt. H. A. l. 4. c. 1.*

Deſcriptionem quod attinet, *Ventrem* tum figura tum tactu, cum Sepiis ſimilem habere, ſtomachum nimirum ſive gulam ab ore praelongam, quam ingluvies excipit; tum ventrem conjungi, ac inteſtinum ſimplex ventri annecti, et uſque ad exitum tendere, Ariſtoteles prodidit. *Cerebrum* in diſſecto duplex conſpici, citat ex Ariſtotele Athenaeus, qui et *atramentum* ejus ſubrufum eſſe, et in veſica, quam μήκωνα vocant, quoque ſupra ventrem, auctoribus Aeliano et Scholiaſte in Ariſtophanem, ſita eſt, contineri, ſcribit, minuſque hujus quam Sepiam, et quidem ad mutim habere, quod brachia habeat coloremque mutet, ubi amiſſum eſt, accreſcere, et nunquam ejus copia deſit, Ariſtoteles addidit. *Caput* ei praedurum quam diu vivit, et quaſi inflatum eſt. Alveus id in caeteris mollibus dicitur, quod brevius et rotundius conſpiciatur. *Oculi*, ſupra duos pedes: *Os* et dentes in pedum medio. *Pedes* habet ut reliqua octonos membrana interjecta magnos, non ſolum ad natandum, ſed et ad ambulandum utiles, quorum medii quatuor habentur maximi, ut bina ſaepe cubita ſuperent, cum acetabulorum ordine duplici, quibus ori cibum admovent; reliqui quatuor, duo ſuperne, totidem inferne, minimi. A quibuſdam brachia, ab aliis, Crura, Cirri, a Plinio barbae, vocantur. Acetabula Ariſtoteles πλεκτάνας, alii κοτυληδόνας, Antiphilus Bizantius ἕλικας, Antipater Thettalus πλοχμοὺς, Ovidius flagella, dixere, πρῆθμα a Heſychio et Varino dici, nonnulli credidere, alii id capiti tribuunt. *Dorſum*, Plinius partem laevem appellat, a qua acetabulorum ordo inchoatur. *Cervicem*, habet imbecillam; cum premitur. *Pinnulam* ipſi anguſtam, de medio ortam, quod parvum habeat alveum, quem pedibus ſuis dirigere poſſit, Ariſtoteles tribuit. Plinius ob eandem cauſam, habere negat. Tam eſſe exiguam, ut minime aut vix conſpici poſſit, experientia didicimus. *Fiſtula* ipſi in dorſo, cava, qua mare tranſmittit: eamque modo in dextram partem, modo in ſiniſtram transfert. *Roſtrum* Pſittaci, ſi Scaligero et Bellonio, fides. *Cutis* nulla, quamvis Bellonius pedes cute contegi reliquerit. *Caro* alba, cavernoſa, meatuumque plena, quod apud Galenum et Plutarchum legimus.

Ariſt. de part. l. 4. c. 9. Ariſt. H. A. l. 4. c. 9. Plin. H. N. l. 9. c. 29. Scalig. Exerc. 218. Bellon. Obſerv. l. 1. c. 14. Galen. de ſympt. cauſ. l. 3.

Locus. *Plut. qu. natur. 19. † Athen. l. 7. Strabo Geogr. l. 3. Oppian. Hal. l. 1.*

In *mari Adriatico* ſunt frequentiſſimi. Thaſus et † Caria optimos, Corcyra magnos alit. In exterioribus Cartejae locis ad talenti pondus accedere, Strabo ſcribit. In Ponto Euxino non reperiuntur magni, ſi Oppianum ſequimur: circa Helleſpontum nulli, quod hoc mare ad Boream

Arist. H. A. l. 8. c. 2. spectans imbribus fere sit obnoxium. Victus. *Aelian. H. A. l. c. 32.* *Victus* ipsis carnes conchularum, quas complexu crinium frangunt: itaque praejacentibus testis cubilia eorum deprehenduntur, Carabi, Cancri, Paguri, Locustae, quarum carnes quandoque exsugunt, et succum exhauriunt; salsamenta, et pisces. Haec omnia tanta aviditate devorant, ut ne a proprio quidem genere abstineant, et si Aeliano fides est, qui minores retibus inclusi capiuntur, majorum esca fiunt. *Aelian. H. A. l. 1. c. 1.* Humanas vero carnes inprimis appetunt. Et refert Trebius Niger apud Plinium, ad conficiendum hominem, in aqua, nullum hoc atrocius esse animal, luctari complexu atque sorbere, et numeroso suctu detrahere, ac in naufragos urinantes impetum facere. Depascere et arborum fructus, in siccum aestivo tempore egressos, certum. Ex plantis autem olea maxime delectari ejusque truncum flagellis saepissime amplecti, praeter Athenaeum, Oppianus prodidit. *Athen. Dipnos. l. 7. Oppian. Halie. l. 4.* Ficis ad mare natis assigi, et fructum mandere, ex Clearcho habemus. An brachia sua tempore penuriae, sub brumam comedant, quae rursum renascantur, dubium quidem est, a maximis tamen authoribus, Alcaeo, Diphilo, Hesiodo, Oppiano, et Aeliano, affirmatur, hinc κολοβόποδας dici Johanni Grammatico ajunt. *Oppian. Cyneget. l. 3.* At Aristoteles, Plutarchus id falsum censent, et ille, aliquos sua brachia a congris habere, addit. *Arist. H. A. l. 8. c. 2.* Distingui *Sexu*, nullum dubium, et Marem a foemina differre, quod ille capite est productiore, et brachio suo gerit, quod genitalis speciem referat, in quo duo amplissima acetabula habentur. Sexus. *Arist. H. A. l. 5. c. 6.* Nervo id quasi constare, porrectum ad medium usque brachium confirmant, totumque nari foeminae annecti. Athenaeus, acutius et solum albicans esse, parte sui extrema bifurcatum, dorsoque annexum tradit. *Athen. Dipnos. l. 7.* Plinius forte *caudam* vocat.

Generatio. *Arist. H. A. l. 5. c. 12.* De *Coitu* ipsorum hoc scimus, cum latent, (conduntur autem binis mensibus) idque hyeme coire, et ova parere. Os ori, acetabula acetabulis componunt. *Arist. H. A. l. 5. c. 6.* Cum eo, quod vocant caput, in terram reclinato, unus invitetur, brachiaque pandat, alter, passis item flagellis, adaptat sese ita, ut acetabula continuentur. Edunt ova et quidem verno tempore, fistula. De Ovis ita Aristoteles. *Arist. H. A. l. 5. c. 18.* Deponunt aut in cavernis aut in testis, aliove cavo loco simile quiddam labruscae cirrulis, et candidae populi fructui. Edita ova dependent ab ambientibus specuum parietibus, tanta copia, ut exemta, vas implerint longe majus, quam caput ipsius, in quo ipsa continebantur. His quinquagesimo demum die disruptis, pusilli polypi generantur: et magno agmine serpunt, phalangiorum more. Ac quanquam non omnibus membrorum singulorum natura conspicua est: tota tamen apparet forma. Multi autem propterea quod invalidi sint, pereunt. Adeo vero aliquando exigui reperti sunt, ut nihil haberent discretum; caetera discreti moverentur. Quod ita brevissime Plinius. *Plin. H. A. l. 9. c. 51.* *Polypi vere pariunt ova tortili simulata pampino, tanta foecunditate, ut multitudinem ovorum cuncti recipiant cavo capitis, quo praegnantes tulere. Excludunt quinquagesimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt.* Polypus foemina modo incubat ovis, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. Artificiose haec extructa, et circumjecta concharum tenuiorum et scabrarum congeries velut lorica dura erigitur. De *Aetate* haec apud Aristotelem legimus. *Arist. H. A. l. 9. c. 59. Scalig.* *Paucissima genera Polyporum biennium vivunt. Natura enim facile contabescit. Argumento est. Pressus enim, aliquid semper emittit, ac tandem evanescit. Patiuntur hoc foeminae, post partum magis, ac stupidae fiunt, neque fluctibus agitatae sentiunt. Facile quoque ab urinantibus manu capiuntur. Muccosae quoque evadunt, neque ad venandum consistere queunt, quod autem bimatum non expleant, inde capiunt argumentum. Nam postquam polypuli orti sunt, tum in aestate, tum sub Autumnum, haud facile invenias polypum grandem. At ante id tempus maximi sunt. Ubi igitur ova ediderint, sic consenescere atque debilitari utrumque affirmant, ut etiam a pisciculis exedantur, perfacile quoque abstra-*

abstrahi a cubilibus. Ante id tempus, nihil tale. Aelianus hoc Veneri adscribit, cui et Oppianus assentitur. Vivit tamen etiam in centum dissectus partes. *Natant* et pinnis et pedibus, et quidem obliqui. Pedes in eam porrigunt partem, quae capitis nomine appellata est, ita, ut cum natant, in adversum prospiciant, et caput ex adverso habeant. Sub aquis, ita in solido ingrediuntur, ut humoris beneficio suspensi fluctuent. In sicco (in siccum exeunt asperum, laevitatem odere) cum ambulatio cum pulsu et tractu fiat, alterum solum est in Polypi motu. Acetabulis enim jactis procul, ut, cuique applicuere id apprehensum tenent: tum brachiorum contractione corpus admovent, ita subvehunt sese in eam partem cui adhaeserunt.

Aelian. H. A. l. 9. c. 30.

Motus.

Scalig. Exerc. 218.

Ingenium.

Ingenium et sagacitatem si spectes, ἀνόητον quidem Athenaeus, brutum Plinius vocat, quod ad homines adnatet, nec persequentem fugiat: est nihilominus callidus et solers. Nam primo, omnia in domum comportat, dein putamina erosa carne egerit, adnatantesque ad ea pisciculos venatur. Idem Conchas artificiose discuneat, et earundem carnibus vescitur. *Non sunt*, inquit Plinius, *praetereunda et L. Lucullo Proconf. Beticae comperta de Polypis, quae Trebius Niger e Comitibus ejus prodidit, avidissimos esse Concharum; illas ad tactum comprimi, praecidentes brachia eorum, ultroque escam ex praedante capere. Carent Conchae visu, omnique sensu alio, quam cibi et periculi. Insidiantur ergo Polypi apertis, impositoque lapillo extra Corpus, ne palpitatu ejiciatur, ita securi grassantur, extrahuntque carnes: illae se contrahunt, sed frustra, discuneatae. Tanta solertia, animalium hebetissimis quoque est.* Colorem eum mutare, sic pisciculis imponere, vulgare; in eo non convenit, quod Theognis, Phocyllides, Ion, petrarum duntaxat mentiri colorem scribunt. Plinius vero et Antigonus ad similitudinem, ille loci, hic rerum, quibus appropinquat, quod et de arena Scaliger innuisse videtur, eandem suscipere, prodant. Causas hujus rei diversi diversas assignant. Plutarchus id astu facere et quod corpus porosum et transparens habeat, ait. Alii, ut Theophrastus scribit, metui id assignant, ut cum hominis genae, pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore tinguntur. Bellonius, ob mollem pellem, quae facile deglubi potest, id fieri credit. Cujus colorem, nunc album (hunc assumere non posse, apud quosdam invenies) mox rufum, postea lividum, mox variis coloribus distinctum videas. Huc pertinet et illud, quod apud Plinium extat. Polypum hamos appetere, brachiisque complecti, non morsu, nec prius dimittere, quam escam circumroserit, aut harundine levatum extra aquam: Monstro vero propiora sunt, quae Trebius Niger, apud eundem prodidit. *Cartejae*, inquit, *in Cetariis prodire assuetus, exire in lacus eorum e mari apertos, atque ibi salsamenta populari, convertit in se custodum, indignationem, assiduitate furti immodici. Sepes errant objectae, sed has transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, nisi canum sagacitate: Hi redeuntem circumvasere noctu: Concitique custodes expavere novitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, dein color muria obliti, odore diri. Quis ibi Polypum* expectasset, aut ita cognosceret? cum monstro dimicare sibi videbantur. Namque et afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis clavarum modo incussos, aegreque multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput ejus dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipsis Trebii verbis utar) barbas, quas vix utroque brachio amplecti esset, clavarum modo torosas, longas pedum XXX. acetabulis sive caliculis urnalibus, pelvium modo: dentes magnitudini respondentes. Reliquiae asservatae, miraculo pependere pondo DCC. Quae de alio, mercatorum res salsamentaque Puteolis depopulante, dicuntur, apud Aelianum vide.

Arist. H. A. l. 9. c. 37.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Athen. Dipnos. l. 2.

Plin. H. N. l. 9. c. 37.

Plin. H. N. l. c.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Aelian. H. A. l. 13. c. 8.

Athen. Dipnos. l. 4.

Usus.

Quantum ad *usum* appositos olim mensis, nullum dubium. In convivio nuptiali Iphicratis, qui Cotys Regis

gis Thracum filiam ducebat, erant centum. Mnesimachus in Hippotropho apud Athenaeum, eosdem apparat. [*Athen. Dipnos. l. 9.*] Apud Graecos, quoque cum Ἀμφιδρόμια celebrarentur, ab amicis mittebantur. Durae tamen sunt carnis, et ad concoquendum difficilis. Ideo ligno contunduntur, vel ad lapidem atteruntur, ut fibrosae carnis durities frangatur. *Caput* suavissimi saporis esse perhibetur. *Caro*, si concoquatur, copiosum alimentum, sed succo crudo scatens, suggerit. [*Plin. H. N. l. 32. c. 10.*] Plinius muriam ex sese emittere, scribit, et ideo non debere in coquendo addi, et arundine secari: ferro enim infici, vitiumque trahere, natura desinente. Elixi magis probantur quam assi. Philoxenus Dythiramborum Poëta, quod totum excepto capite devorasset, in aegritudinem incidit, et mortuus est. Idem Diogeni Cynico accidit, quod crudum * deglutivisset. [* *Plutar. l. An aqua igne melior.*] Invenere et *in Medicina* locum. Polypo tuso et apposito sisti sanguinem, scripsit Plinius. Myrepsus in clibano cum lignis oleae eundem urit, donec in cinerem vertatur, pulveris unciam, cum dimidia Chalcanti miscet, et naribus ad tollendum Polypum insufflat. [*Hippocr. l. de inter. affect. de Natura muliebri etc.*] Secundum Hippocratem, tosti puerperii purgamenta purgant, bene ad concipiendum dantur, menses in vino albo suffocati, movent. Uteros molliunt, et in dislocatione eorundem bene praescribuntur. Ad Venerem stimulare, praeter Diphilum, Aeginetam, Dioclem, Alexis et Xenarchus apud Athenaeum testantur. Jovius vero, sale inveteratos Venetias ex Dalmatia et Illyrico deportari, et a senibus acetabula et extremitates cirrorum, ad sobolem procreandam expeti, scribit. Causam Mnesitheus in flatuositatem, Jovius in salsedinem, Aldrovandus in seminis copiam, quam suppeditant, conjiciunt.

[Antipathia.] *Inimicitias* cum Locusta, Cammaro, Congro, et Muraena exercet. Locusta cum in tantum pavet, * ut si juxta viderit, omnino moriatur, quod et Aelianus prodidit. A Congris * laceratur. Muraena eidem dentium firmitate brachia † abscindit. Cum apud Epidaurum easdem secaret Bellonius, ventriculos cirris Polyporum refertos comperit. Immobiles manere si quis rutam conjiciat, Aelianus author est.

[* *Plin. H. N. l. 9. c. 62.* *Aelian. H. A. l. 10. c. 38.* * *Plin. l. c.* † *Aelian. H. A. l. 1. c. 32.* *Aelian. H. A. l. 1. c. 39.*]

[Differentia.] Quantum ad *Differentias* et *Genera*, variant circa ea authores. Apud Athenaeum ex Aristotele et Speusippo, Heledonem, Polypodinem, Bolbotynen, et Osmylen, species Polyporum invenies. [*Athen. l. 7.*] Apud eundem Nautili et Trepsichrotis fit mentio. *Aristotelis* haec sunt verba, ex Scaligeri interpretatione. [*Arist. H. A. l. 4. c. 7. Scalig. edit.*] *Polyporum multa sunt genera. Unum genus est frequentissime summa aquanatans, quod et maximum est. Horum littoris accolae longe sunt majores, quam qui in alto degunt. Aliud genus parvorum, ii vario sunt colore, neque esitantur. Item alia duo. Nam* Eledona *tum peculiari crurum longitudine: tum, quia molluscorum sola singularibus tantum acetabulis praedita est. Cum bina alii habeant. Et quam alii vocant* Bolitaenam, *alii* Olentiam. *Postremo alii duo in conchis. Unus, a quibusdam et* Nautilus *et* Nauticus, *appellatur, ab aliis autem ovum* Polypi. *Ejus testa pectunculo similis est cava: neque ei connexa natura. Is prope terram pascitur saepe numero: quare a fluctibus ejicitur in aridam, ubi elapsus de Concha, aut capitur, aut in humo perit. Hoc genus et pusillum est, et simile Bolitaenis. Alter in testa tanquam limax, is ex ea nunquam exit: sed interdum brachia exerit.* Tantum Aristoteles: Quinque itaque Polyporum genera sunt, quorum duo in conchis haerent, tria, sine conchis conspiciuntur, inter quae levem et exiguam moderni differentiam esse putant. *Eledone* ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν, quod comprehendat, vel ἀπὸ τοῦ ἑαυτὴν ἔδειν, quod se seipsam rodat, dicitur, ὄζαινα, ὄζολις, ὀσμύλος, a gravi capitis odore nomen habet: Osmylus adeo bene olet, ut Gyllius, nihil moscosius se sensisse, etiam tum cum mortuus esset, scribat. Pollux tamen inter cirros et caput fistulam gerere, e qua tetrum emittat odorem, prodidit.

Bolitaena, quae βολβοτίνη, Scaligero olentia, vel potius Putilia dicitur. Gyllius eam, ut et πολυποδίνην, nomine ab

ab Osmylo duntaxat differre, scribit. Epicharmus apud Athenaeum, mare olere ait. Non alit eam Euripus: in Laconia frequens est. Illa Menulas Sepiolasque venatur. Ad venerem plus caeteris valet. Exsiccatur a quibusdam, ut vestibus fragrantiam in arcis conciliet. *Plin. H. N. l. 9. c. 30.*

CAPVT II.

De Sepia.

TAB. I. 2. 3. 7. 8. Nomen.

Sepia, quae Thebanis *Opistholia*, Arabibus *Sarathan* et *Sarthan* audit, Graecis ita dicitur, non quod sepibus interclusa facilius capiatur, ut Isidoro placet, nec quod profuso atramento se sepiat, ne capiatur: sed quod atramento, veluti putrida quadam sanie, quam Graeci σηπεδόνα vocant, abundet.

Descriptio.

Descriptionem quod attinet, multas cum Polypis, plurimas cum Loligine, communes habet, partes quasdam etiam proprias. Cum Polypo convenit, quod pinnas exiguas habeat. Angustam esse, et per totum alveum circumductam apud Aristotelem legimus, ventrem tum figura tum tactu similem cum Loliginibus, sortitae sunt alveum corporis magnum, qui tamen Sepiae latior, Loligini longior; crura † brevia; pedes supra dentes senos exiguos, eorumque novissimos duros majores, reliquos octonorum duos infra, omnium maximos, promuscides binas longas acetabulo parte extrema bino asperiusculas, quibus veluti anchoris innituntur, seque tempestate urgente modo navigii stabiliunt, venantur, et praedam ori e longinquo admovent, pedes Plinius vocat. Vulvam quoque articulatam habent, ut bifida cernatur, cum Polypi rotundum conglobatumque uterum habeant. Proprium Sepiae est praeter fistulam inter caput et alveum prominentem, atramenti copia, et vel ideo quam caeteris major, quod vitam littoralem traducat, et nihil aliud quo sibi auxilietur habeat, cum Polypis et brachia, et mutatio coloris inserviat. Continet hoc non ea quam μύτιν vocant, parte, Plutarchus vesiculam collo dependentem facit, sed infra ad alveum, qua intestinum petere incipit superiora, foramenque suum eadem obvolutum habet. Vocatur hoc Galeno θόλος ὑπέσαγμα et ὄτερον, Nicandro χολή, Aeliano ἀπόσφαγμα. Aristoteles noctu praefulgere, ut quorundam piscium capita, addit. Habet et Σήπιον, in dorso, robustum et latum, inter spinam et os, mediam prae se ferens naturam, fungosam intra se complectens et friabilem corpulentiam. Athenaeus, et Dioscorides ὄστρακον, Columella testum vel testam vocavit. Exemtum id e Sepiae dorso, candidum est superiori parte, durum ac laeve: inferiore autem fungosa quadam medulla repletum, quae et leviter aspera, et ligni modo frequentibus venis distincta visitur. Germani Fischbein vocant. Saepe binum cubitorum magnitudine capiuntur.

Aristot. de part. Anim. l. 4. c. 8. — *† Arist. H. A. l. 4. c. 1.* — *Aristot. de part. Anim. l. 4. c. 9.* — *Plin. H. N. l. 9. c. 28.* — *Arist. de Gener. c. 8.* — *Aristot. de sens. et sensat.*

Locus.

In Ponto nullas *reperiri* Sepias, Plinius author est. In septentrionali Oceano degere, cum sint frigidae et exangues, mirum. Major earundem in Gallia quam Italia copia, major in Adriatico quam Tyrrheno mari. Archestratus eas, quae prope Abderas et Maroniam capiuntur, laudat. Littoralem tantum vitam vivere, apud Aristotelem, cavernas maris incolere, apud Oppianum habemus. *Aldrov. l. 1. c. 4.* *Arist. de part. l. 4. c. 5.*

Victus.

Victitat pisciculis, saepe et mugile, quem longis promuscidibus venatur. Aliquando et majores pisciculos vincit. *Arist. H. A. l. 9. c. 37. et l. 8. c. 2.*

Generatio.

Generatio sic perficitur. Coëunt corpora inter se amplexae, adaptantesque mutuo ex adverso narem (μυκτῆρα) et brachia, quod ore coire et lingua Plinius falso dixit. Vere uterum foemina gerit, continet partum diebus quindecim: Ova statim candida specie grandinis: magnitudine myrtillorum grandiusculorum. Editis superinfundit de suo atramento. Itaque et nigra fiunt: et quasi glutino haerescunt inter se ad racemuli figuram. Mas quoque genituram suam effun- *Plin. H. N. l. 9. c. 31.* *Arist. H. A. l. 15. c. 17. Scalig. edit.*

effundit, qua illa et nigriora & duriora fiunt, atque augeſcunt uvae ad acini magnitudinem: Ex candida fit Sepiola, exitque die quinto decimo cute obrupta, exitque in caput et ventre annexo, ut aves. Quanquam nexus ille umbilici nondum ſatis conſtat. Creſcente itaque Sepia, decreſcit albumen, ut in avium ovis vitellus, ac tandem deficit: Oculi Sepiolarum ut in caeteris quoque animalibus grandiſſimi. Perfecta jam Sepia cum eſt egreſſura, ſe membranula ſecare occipit. Sepiola perterrita et ſtercus edit, et rubeſcit. Parit vero juxta terram inter arundines et ſicubi enata alga, aut aliud quidpiam e mari ejectum, ut materia ſarmentorum aut lapides. Bimatum non complere Ariſtoteles prodidit.

Ariſt. l. c. Plin. H. N. l. 9. c. 51. Ariſt. l. c.

Sexus. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 1. l. 5. c. 12.*

Sexus dignoſcuntur facile. Mares prona ſui parte nigriores ſunt, partes omnes aſperiores habent, et lineis intervenientibus varias, caudam etiam acutiorem. Foemina inteſtina continet duo veluti mammas, quae alvo diſſecta facillime conſpiciuntur.

Ingenium. *Plin. H. N. l. 9. c. 29. Ariſt. H. A. l. 9. c. 37. Plin. l. c. Aelian. H. A. l. 1. c. 34. Philes in Iambis. Oppian. Halieut. l. 2.*

Ad *Ingenium* pertinet, quod percuſſae tridente foeminae auxiliatur mas: at foemina icto mare fugit: quod ſola ſuo utitur atramento, non ſolum cum metuit, ſed et abſcondendi cauſa: quod ambo ubi ſenſere ſe apprehendi, effuſo eodem, quod pro ſanguine his eſt, infuſcata aqua abſcondantur: quod a collo acetabulum inſtar funiculi, quo hamus dependet, dimittit, et piſciculis mordendum exhibet, eodemque retracto praedam ad ſe adducit: quod denique tempeſtate urgente, propriis ſcopulis devincta flagellis haeret, et nativos dura connectit caute rudentes.

Uſus.

Habent ut olim ita et nunc in *Cibis* locum. Nam et cum Amphidromia celebrabantur, moenas cum Sepiis mollire, et plurimos cirros diligenter ſtringere ſolebant, et in Ipſicratis nuptiis, aſſarum fit mentio. Optimae putantur gravidae, menſibus inprimis Januario, Februario, et Martio. Elixantur magna ex parte, aſſiſque praeferuntur. Majores ſale conſervantur in Illyride, indeque Venetias deferuntur, ut et Genua Mediolanum. Ad Venerem ciendam quidam cum nucibus adhibent. Ova in ſiccum ejecta, nonnulli in ſartagine coquunt. Sethi difficulter concoqui, parumque in ſe continere ſucci, ſcripſit. Eſt et *in Medicina* earum *Uſus.* Ad dentium dolorem, cum ovorum putaminibus et oleo miſcet Galenus. Hippocrates in morbis mulierum ſaepiſſime praeſcribit. Celſus et Dioſcorides atramentum alvum emollire produnt. Ova urinam movent teſte Plinio. Marcellus ad tincturas et maculas corporis abolendas ex iisdem remedium facit. Dentifriciis aptiſſimum eſt os Sepiae; quod et thoracis vitiis cum aqua potum prodeſſe Geſnerus ſcribit.

Differentia.

De Differentiis nihil occurrit. Rondeletius piſciculum hunc, quem ita deſcripſit, Sepiolam vocavit. Sepiae, inquit, naſcenti ſimilis eſt, pollicis craſſi magnitudinem non ſuperat: octo pediculis conſtat: duas proboſcides habet, nec ſepium in dorſo, nec gladiolum habet: utrique lateri pinnula, veluti ala parva affixa eſt, rotunda, nec figura, nec ſitu pinnis Sepiarum et Loliginum ſimilis, etc. Colore eſt vario, parvulis enim punctis in dorſo notatur. Ore, oculis, fiſtula, partibus internis a Sepia non differt. Carne eſt molliore.

CAPVT III.

De Loligine majore et minore.

Tab. I. 4. 5. Nomen.

Loligo major τεῦθος Graecis, Gazae Lolium, Gallis Calamar, a thecae ſcriptoriae ſimilitudine, ſive quod in ea reperiuntur, quae ad ſcribendum neceſſaria ſunt, dicitur. Minorem τεύθιδα vocavere. Quaenam cum Polypo et Sepia communia habeant, capite de Sepia explicatum eſt: hoc ſolum addimus, Loliginum promuſcides, Ligulas vocari Apulejo; *Apul. Apol. 1.*

jo; id vero quod durum ac solidum intus per corporis prona continetur, ξίφος, seu gladiolum dici. Differunt a Sepia, quod alveum, quem Aristoteles κοιλιάν, Athenaeus ζωμάτιον vocat, longiorem habeat: & bina quidem conceptacula gerat, quae ventris ferunt speciem, sed alterum minus ingluviem imitetur et tactu discrepet, quoniam et Corpus totum carne molliore constat. Quin et praeter atramentum, quod prope mutim habet, gerit et succum purpurascentem, ὠχρὸν Athenaeus vocat, Oppianus ὀπέρυθρον, Gladiolus autem, quem Athenaeus ὄστρακον dixit, cartilagineus est, pellucidus, et ab una parte cultrum, ab altera calamum referens.

Oppian. Hal. l. 3.

Aldrov. de Mol. l. 1. c. 6.

Descriptio.

Bellon. de Piscib. l. 2.

Aldrovandus crystalli instar splendidum depinxit. Peculiarem *descriptionem* si attendas, Teuthos, describente Bellonio ipsa quidem Loligine major est, ut cubitorum interdum quinque esse, inquiat Aristoteles. Exteriore quoque corporis nota aliquantulum a Loligine discernitur. Pars enim Lolii, quae exit in acutum, in Loligine latior est. Quin etiam pinnulae totum Lolium ambiunt, junctae perpetuaeque, quae alioquin in Loligine partem aliquam relinquunt. Minus autem accedit ad Polypum quam Sepia. Nam corpus ei oblongum est, cartilagineum, duabus pellibus obductum: *gladium* arctiorem et magis cartilaginosum in tergore continens, translucidum vitri modo, tenui theca inclusum: rostrum aquilinum, psittaci figura. Sed eodem modo *atramentum* quo Sepia emittit, et cirros octonos habet, breves tamen: in quibus tot *acetabula* conspicies, quot in Sepiis. Ac praeter illos octonos duo quoque longa flagella, seu promuscides, multis in extremo acetabulis circumsessa videbis. Haec acetabula praeter Sepiarum et Polyporum morem, tribus introrsum osseis aculeis robustis, in gyrum munita sunt. Latas in gyrum diffundit pinnas: a cujus ore corneo gula praetenditur angusta, et usque ad stomachum longa, quem habet amplissimum, atque adeo ingluviem, quae hunc praecedit. *Loliginis minoris* descriptionem, quae fere nihil ab ista differt, vide apud eundem.

Locus.

** Arist. de part. l. 4. c. 4.*

† Athen. l. 7. Dipn.

** Plin. H. N. l. 9. c. 15.*

Idem l. 9. c. 30.

Victus.

Reperiuntur in profundo* mari, etiam prope † Euboeam, quin et in Ponto, in quo nulla Sepia. In nostro mari, inquit Plinius, quinum* cubitorum capiuntur. *Victitant* piscibus: nec a Cancris, Paguris et Astacis abstinent; diligenterque, quicquid in stomachum dimiserint, rostro, quod robustissimum habent, atterunt.

Generatio.

Plin. l. 9. c. 5.

Arist. de gener. l. 3. c. 8.

** Plin. H. N. l. 9. c. 3.*

† Plin. H. N. l. 9. c. 29.

Plut. qu. natur. 18.

De *Coitu* idem in Loliginibus occurrit, quod in Sepiis diximus. Pariunt in alto, et conserta ova edunt. Apparent haec gemina, quod vulva earum ita articulata sit, ut bifida cernatur. Neque his bimatu * longior vita. Mas a foemina differt, quod intus meatus duos habeat, quibus mas caret, sicuti in Sepiis evenit. Non tantum suis pinnaculis natant, † sed etiam iisdem extra aquam se efferentes volitant: et saepe tanta multitudine, ut, quod ex Trebio Nigro Plinius prodidit, navigia quoque demergant. Dum volitant tempestatem praenunciant, quod caro ipsarum nuda et glabra, frigoris quoque sit impatiens, ut Plutarchus prodidit.

Usus.

Galen. de Comp. sec. gen. l. 1.

Usus Loliginnm ut olim in Cibis fuit, sic nunc est. In coena lauta appositos Pherecrates apud Athenaeum testatur: Scholiastes Aristophanis, et Suidas inter viles reponunt. Praeferuntur gravidae, et quas Ambracia dedit, Romae mensibus frigidis laudantur. Et assarum, et in sartagine coctarum, Athenaeus meminit. Antiphanes farcta delectatur. Deterius jus sine atramento confici opinantur. Quomodo sapidiores reddantur, vide Aldrovandum. In *Medicina*, stomachicis convenire in cibo apud Galenum legimus. Torminosis assatas prodesse Marcellus Empiricus prodidit.

CAPVT IV.

De Lepore marino.

Tab. I. 6. Nomen. LEPVS marinus, Graecis λαγὼς et λαγὼος θαλάσσιος, a colore leporis terrestris, quem ἐμπέρκιον vocant, nomen sortitus est. Monspelienses ebrium vocant, quod vivus colore ex rubro nigricante sit, quali plerumque ebrii conspiciuntur. Mortuus ex fusco albicat.

Descriptio. Varie a veteribus *describitur*, qui eum modo offae informi, ut Plinius, modo cochleae testa exemptae ut Aelianus; (*Aelian. H. A. l. 2. c. 45.*) modo Loligini parvae, carneam si respicias, ut Dioscorides, assimilarunt. Apulejus caetera exossem, (*Apulej. in Apologet.*) duodecim tamen numero ossa ad similitudinem talorum suillorum connexa et catenata gerere, reliquit.

Differentia. Rondeletius *tria genera* descripsit. *Primum genus* maxime lethale est, cochleae nudae admodum simile, maxime posteriore corporis parte. Os habet in dorso veluti Sepia, volutae instar contortum, qua parte caudam spectat; in lateribus Sepiarum modo pinnas habet alveum ambientes replicatas: mox cornicula duo carnosa, qualia sunt in cochleis, altera tantum capitis parte Zygenae caput imitatur: altera parte foramen est, per quod carnosam quandam substantiam exerit, quam etiam pro arbitrio retrahit. In harum duarum partium medio rima est pro ore, *atramento* et reliquis partibus internis loliginem refert. Idque in hoc genere est mirabile, quod cum in omnibus animantibus partes sinistrae dextris similes sint, in hoc sint valde dissimiles, ideo offa informis merito dicitur. Odore est pisculento tetroque. *Alterum genus* superiore est majus, partibusque et aliis superiori simile, sed parte priore duas latas appendices carnosas habet, in quarum medio rima est. Paulo infra cornicula duo, qualia in superiore descripta sunt, nisi quod acutiora et breviora sint. In dorso os nullum, neque posterior pars, cochleae exenteratae similis est. Hujus posterioris partis utroque latere, veluti in Sepia pinnae sunt magis replicatae et expansae. *Tertii generis* prona et supina pars exhibetur. Quod in partis supinae medio conspicitur, est os: Suprapofita ori pars alveus, qualis in Sepiis, ovi figura, sed in ambitu crenatus. Ori subjecta pars membrana est tenuis, carnosa, magis expansa in rotundum, cujus ora fimbriata est, fimbriae nigrae sunt. Intus cerebri nigri parum est, gulam excipit ventriculus, ex quo oritur intestinum instar capreolorum vitis convolutum. In medio substantia quaedam est fungosa, succum fuscum continens, fortassis μήκων cum atramento suo. Toto corpore est splendido: Crystallum vel pituitam concretam congelatamque dixeris. Odore est ingrato et pisculento nauseamque movet. Hoc genus Bellonius pro communi lepore descripsisse videtur. Fulvum inquit leporis terrestris colorem imitatur. Pulmonis marini more per mare divagatur, tametsi pinnis careat. Pellucidum habet corpus ovi anserini magnitudinem non excedens, quod pro lubidine huc et illuc transfert. Septem habet appendices innumeris promuscidibus stipatas ex Indico in cyaneum vergentes, quibus sugendo corpori alimentum suggerit: appendicum autem substantia fungosa est. Ex aqua emergens naturam suam emittit, et in seipsum concidit. Linguam demorsus vellicat ut ari radix, paulo tamen remissius, etc.

Addit Aelianus et *Indicum*, quod ex omni parte ad terreni leporis similitudinem accedit, praeter pilos, qui spinosi et erecti. (*Aelian. H. A. l. 16. c. 19.*) Tertium illud genus in alto mari degit, ideoque rarissime capitur. Primum in stagnis marinis lutulentis, et alga limoque vescitur. Frequentes inter Cycladas insulas occurrere Bellonius prodidit. Dari in hoc genere marem et foeminam apud Plinium habemus. (*Plin. H. N. l. 22. c. 1.*) Cum ad Rondeletium delatus esset, qui lingula carnosa careret et ore in dorso, marem esse judicavit, primo loco descriptam foeminam, quod in ea Polyporum ovis simile quid reperiretur.

Adhi-

Usus. *Adhibitus est in Medicina* olim. Galenus et Plinius inter Psilothra referunt. Archigenes ad aegylopas lanae tomentum sanguine leporis marini tinctum indit. Jubent quidam et lepore marino recenti podagram fricari, prodente Plinio. *Venenatum* esse certissimum est, eum inprimis, qui in Indico mari. Eo Titus a fratre Domitiano sublatus est, ut Plinius ait. Non sunt minus mira, quae de lepore marino traduntur. Venenum est aliis in potu aut cibo datus, aliis etiam visu. Hi quidem gravidae si aspexerint foeminam duntaxat ex eo genere, statim nausea et redundatione vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas induratus sale, ut in brachialibus habeant: eadem res in mari et tactu quidem nocet. Alibi tamen, mortem saepe inferre, et si nihil aliud ventrem doloribus acerbissimis torquere scribit: quod et Aelianus prodidit. Quae de mulieribus dicta sunt, a Rondeletio experto confirmantur, sed remedii non meminit. Symptomata quae insequi solent, egregie vetustissimus Poëta descripsit:

Galen. l. 11. de sympt. — *Plin. H. N. l. 32. c. 1.* — *Aelian. H. A. l. 2. c. 24.* — *Nicand. in Alexiphar.*

Post bibitum hoc virus viridis stagnantia fellis
Excrementa manent, tenebroso lumina visu,
Caligant, liquidae abeunt in corpore carnes:
Nausea adest, tumet alta cutis, talique calescunt:
Subque cavis oculis roseo fucata rubore
Apparet facies, sistensque urina moratur,
Quae nunc purpureo, nunc sanguineo esse colore
Cernitur, et quemcunque videt contemnere piscem
Assolet aversans, ut quaelibet aequoris aeger.

Hinc patet vix pulmoni proprie infestum, cum tot affectus sumpto eo oboriantur. Fatendum tamen plerumque tabem invadere. Alexipharmacorum quae contra adhibentur haud paucus est numerus. Exhibetur primo helleborus niger, hinc lac asininum inprimis, nec non decoctum malvae, et alia, de quibus Aldrovandum vide. Rondeletius mulieri, quae nauseam ex odore conceperat, cancrorum usum praescripsit.

Aldrov. de Moll. c. ult.

HISTORIAE NATVRALIS
DE EXANGVIBVS AQVEIS
LIBER II.
DE CRVSTATIS.

TITVLVS I.
De Crustatis in genere.

Nomen. Quae Crustata Plinio, illa Latinis aliis Crustacea, quod molli crusta operta sint, Graecis μαλακόστρακα, eandem ob causam dicuntur. Medium inter Testacea et Mollusca sortita locum videntur. Nam quatenus foris crusta, etsi fragili et tenui obteguntur, cum testaceis conveniunt: quatenus molle carnosumque intus continent, Mollibus comparantur.

Plin. H. N. l. 11. c. 31.

Descriptio. *Ossibus* carent, quod ossa juncturis indigerent, ut Cardanus scribit, nec sub crusta extendi possent. Communes ipsis cum caeteris exanguibus partes, Caput, Alveus, Gula, venter, et intestinum. *Alveus* totius corporis indiscretus est: nec *caput* distinctum, nec aliud quicquam. Ideo ea Galenus capite truncare voluit: quod cave de Caudatis accipias. Καρίδες ista dicuntur, non tam quod magnum caput habeant; exiguum enim hoc: quam quod maximum inter caetera crustata. Et videtur Athenaeus, apud quem ista leguntur, κεφαλὴν catachrestice pro thorace et capite sumere. In Capite *Os* est, quod protinus ventrem

Arist. H. A. l. 4. c. 3. — *Athen. Dipnos. l. 3.* — *Arist. H. A. l. 4. c. 5.*

trem in omnibus, praeterquam in Locustis excipit, mox a ventre intestinum. Exiguus is, si proportionis in corporum magnitudine ratio habeatur: hoc, simplex usque ad exitum excrementi dejicitur. *Dentes* in ore habent duos priores, et quia hi ad exactam ciborum contritionem non satis, quoad intima corporis penetrare queat, tres in ventriculo, altrinsecus singulos, inferius tertium. Longi qui in ore et tegmine duplici operti, inter quae talia quaedam interjacent, qualia locustarum dentibus annecti suo loco dicemus. Intra hos binos dentes carnosum est illud, quod linguae proportionem ejusque effigiem gerit. Supra os *Oculi* siti sunt, iique duri omnibus, apti intro, foras, et in obliquum et quidem celeriter moveri, ideo palpebris carent: Cardanus in latus moveri ait nostri comparatione, directe autem oculorum suorum. Melius enim esse ut altero utrinque prospiciant, etsi diversis oculis, quam utroque simul nec ante nec post. Prominere autem quia a lateribus: quia aliter ante penitus prospicerent: a lateribus autem collocari, quia si supra caput non viderent, ante vero non poterant, quia os infra reponere necessarium fuisset, quia caput habent immobile: neque ante simul os et oculos esse, quoniam oportuisset esse latam faciem, unde in motu etiam tardiores evasissent. *Caput* etsi exiguum, appendicibus tamen et cornibus munitur, quae et ad pugnandum et ad praetentandum iter data sunt. *Pedes* omnibus octoni, omnes in obliquum flexi. *Brachia* forcipibus denticulata sunt bina, quae Graeci χήλας, Apulejus furcas, alii nomine Graeco servato Chelas nominant. Horum pars superior in primoribus his, ut loquitur Plinius, movetur, superiore immobili: hisque pro manibus utuntur, et contra quam pedes flectant. Omnibus magna ex parte grandior et validior dexter quam laevus *forceps* est. *Caro* colore sanguinis rubra et tactu lento. In alveo humor est pallidus, et minuta quaedam oblonga et albida, rufa etiam alia maculis dispersis. *Papaver* eis parcius; brachiorum annexus communis. *Tabellas* quidam Latini vocant, quas πλάκας Aristoteles, quibus cor crustae coagmentantur. *Lapides* sub crusta genitos refert Cardanus, de quibus in Cancris agemus.

Plin. H. N. l. 11. c. 37. — *Arist. H. A. l. 4. c. 2.* — *Cardan. variet. l. 37.* — *Plin. H. N. l. 9. c. 31.* — *Arist. H. A. l. 4. c. 2.*

Locus. In stagnis potius marinis et juxta amnium ostia, saxorum foraminibus et limosis locis morari ex Aristotele et Athenaeo habemus. Lapillis, alga, limo et stercore victitant: nec a carnibus abhorrent. *Coëunt* more eorum, quae in aversum mingunt, ineunte vere, et cum ficus maturescunt, prope terram, et quidem quod exanguia sint et naturae frigidae, diutissime. Foemina ovum rubidum, membrana praetenui obvolutum, ventri, lateri, et utrique intestino annexum, et ad carnem usque adhaerens parit. Imperfectum illud, quod foris editum, incrementum capiat. Diversitas *Sexuum* ex nonnullis cognoscitur. Major et crassior mas, tenues genitales meatus habet, et primum pedem simplicem. Nec non duabus particulis candidis, quas in carne pectoris habet, sed a foemina discretas tum colore tum concretione similes Sepiarum promuscidi. Vorticosae hae sunt, quemadmodum buccini anfractus, quem Graeci μήκωνα, id est, papaver vocant. Oriuntur eae ab acetabulis, quae sub extremis sunt pedibus. Foeminae operculum distantius, hirsutius, et opacius: vulvae membraneae ad intestinum hinc atque inde fissae, in quibus ovum gignitur; primus pes duplex, et cauda latior.

Arist. de Gener. l. 3. c. 11. et Athen. Dipnos. l. 3. — Generatio. *Arist. de Gener. l. 1. c. 11. et 14.* — *Arist. H. A. l. 4. c. 2.* — *Arist. H. A. l. 4. c. ult.* — *Plin. H. N. l. 9. c. 31.* — Sexus.

Vita. Longae *vitae* esse scripsit Plinius. Nulla *respirant*, sed aquam per fistulam egerendo refrigerantur. Humorem ore accipiunt, et meatu oris superiore emittunt. Hebes omnibus *visus*, tum quod oculos habeant duriores et prominentes, tum quod a latere positos. Valent *gustu* et *odoratu*, et ad morem aquatilium *dormiunt*. Nullum sonum vel vocem emittunt, et obliquo motu incedunt, caudaque tantum natant.

Plin. H. N. l. c. — *Arist. H. A. l. 4. c. 10.*

Mores. Ad *Naturam* et *Mores* pertinet, quod hyberno solum tempore conduntur, vere et autumno pinguescunt, quod antennis potius et cornibus quam chelis, quibus tamen magis valent,

Plin. H. N. l. 8. c. 1.

Arist. H. A. l. 5. c. 17. l. 8. c. 17.

lent inter ſe depugnant, iſtis cum aliis, quod denique vere et autumno poſt partum operculum exuant.

Uſus. *Plin. H. N. l. 9. c. 37.*

In Cibo laudantur plenilunio, quia ſydus tepido fulgore mitificat tempore verno et autumnali, et cum uterum gerunt. Grati ſunt ſaporis, ſed durae carnis, ideo coctionis arduae. In *Medicina*, ad canis rabidi morſum, tabem, et fervidorum humorum deuſtionem conferre, Lemnius tradidit.

Athen. Dipnoſ. l. 3. Lem. de Occult. Natur. l. 3.

TITVLVS II.
DE CRVSTATIS IN SPECIE.

CAPVT I.
De Cruſtatis caudatis.

ARTICVLVS I.
De Locuſta.

TAB. II. I. Nomen.

Cruſtata in Caudata et Rotunda optime dividemus. Illa ſunt, *Locuſta, Aſtacus et Squilla. Locuſtam* Iſidorus, a pedum longitudine dici putat. Graecis eſt *καράβος, παρὰ τὸ τῇ κάρα βαίνειν*, quod capite incedat, vel eo ſit multum prominente, *καραβὶς* apud Trallianum, Heſychio et Varino *Αἰγιλήρος* a caudae motu, *καβάρεος* et *κηραφίς*. Ab aliquibus *γραφιαῖοι*, ab aculeis, *πρὸς τὸ γράφειν καὶ χαράττειν*, id eſt, ad ſcribendum et ſculpendum idoneis. Ariſtophanis ſcholiaſtes *παγέρους τοὺς παῤ ἡμῖν καράβους* exponit. Hirto aſperoque ſunt corpore.

Deſcriptio.

Duo eis ante oculos cornua magna, initio aſpera et aculeata, deinde rotunditate praepilata, (*κέντρα* Oppianus et Aelianus, Ariſtoteles *κέρατα*, nos antennas vocamus) in exortu craſſiſſima, quae paulatim magis ac magis ita gracileſcunt, ut tandem in tenuiſſimum cirrum deſinant, in omnemque partem pili inſtar flecti poſſint. *Oculi* cornei ſemper prominentes, et, exerti, in obliquum mobiles, aculeis acutiſſimis firmiſſimisque utrinque tanquam propugnaculis muniuntur. Oris lateribus additae appendiculae tanquam parvi pedes ad tutelam. *Dorſum* aſperrimum eſt et aculeatum, velut e fronte aculeus magnus eminet. In lateribus *branchias* habet veluti e pilis coagmentatas, *pedes* utrinque quinos annumeratis extremis chelis, quas Gaza modo forcipes denticulatos modo brachia forcipata interpretatus eſt: flectunt eos in obliquum, ut chelas introrſum. *Cauda* laevis et ſine aculeis ex quinque tabellis contexta, in pinnas quinque deſinens, natandi cauſa, ei tanquam remo innititur, et in ea totius corporis robur ſitum eſt, quod experieris, ſi ea parte Locuſtam apprehendas. *Dentes* habent primores binos majuſculos et *gulam* ante ventrem exiguam, in quo nonnulli dentes, et ſimilis muti humor. *Cor* ex nigro rufeſcere obſervavit Bellonius. Mare cum excipiunt ore, tranſmittunt id ad ſuas branchias, quarum plures quam alia cruſta intecta obtinent. Praeterea *meatus* pectore dependet uſque ad exitum excrementi: is pro vulva foeminis eſt: genitale vero ſemen continet in manibus. Jacet autem in concavo carnis, ita ut interjaceat caro. Nam inteſtinum ad partem curvam ſitum eſt, meatus ille ad cavam; non alio modo quam in quadrupedibus continetur. Neque vero id alia ſpecie eſt in maſculo et foemella, ſed utrisque et tenues et candidi, ac pallidum continent humorem. Et utrisque eadem origo a pectore. Quem Aldrovandus appinxit dorſum habebat inter atrum et caeruleum medium, dentem ſuperiorem triplo majorem inferiore. Vterque intus tuberculis caret, et utrinque eſt acutus.

Ariſt H. A. l. 4. c. 2.

Locus.

Reperiuntur in mari, circa Sigaeon inprimis Athon et Liguſtico. In Indico quatuor ſunt cubitorum. Hyeme vero aprica littora ſectantur, aeſtate in opaca gurgitum recedunt, petroſisque locis vivunt. In Liguſtico nigricantes Pierius Valerianus conſpexit.

Plin. H. N. l. 9. c. 3. Ariſt. H. A. l. 5. c. 17.

Victus

Victus. *Victus* ipsis pisciculi, quos circa cubilia capiunt, et captos ori forcipe suo admovent. Muraenas et congros majores devorare, et cibos ore terere, quod oris constitutio et gulae angustia ostendit, observavit Bellonius. *Bellon. Aquatil. l. 2. c. 3.* *Vita* omnibus diuturnior. De *Generatione* ita Aristoteles. Generatio. *Arist. H. A. l. 5. c. 17.* In genere crustatorum locusta post coitum impletur, et continet ova circiter menses tres, Majo, Junio, Quintili. Deinde edit ea sub ventre ad plicaturas: ubi crescunt, quomodo solent vermiculi. Id quod commune est et molluscis et piscibus oviparis, ut omnium ova crescant. Locustarum igitur ovum est solutile in arenae modum, octo in classes partitum: pro numero scilicet coperculorum, quae lateri adhaerent. Quorum singulis cartilagineum quiddam adsitum est: circum quod haerent cumulata specie rami: unum quodque enim horum cartilagineorum in plura scinditur. Quod deprehendas, si diducas: sin aliter intueare, unum corpus concretum putes. Grandissimum quodque non est ad foramen, sed ad medium: postrema autem minima. Minimis magnitudo quanta fici granulo. Neque continuo ipsi meatui haerent, sed medio. A cauda namque ad pectus, duo, singula utrinque sunt potissimum intervalla. Sic enim etiam coopercula ipsa disposita sunt, ut a latere tegere non possint. Quare extremitatibus suis imposita cooperculi modo contegunt omnia. Videtur autem parturiens producere ova ipsa ad illa cartilaginea caudae applicatu. Comprimens enim sese atque statim curvans parit. Cartilaginea hoc tempore augescunt ita, ut ovorum ipsorum capacia esse possint. Nam ad cartilaginea pariunt, sicut Sepiae ad malleolos, aut alia quae fluitant. Is est pariendi modus. Concoquit autem ibidem potissimum vicenis diebus. Tum abjicit cuncta simul consistentia sicut cum ejecit, videntur: inde ex his locustae oriuntur die fere quinto decimo: capiunturque saepe numero minores digito. Ante Arcturum pariunt, post Arcturum amittunt ova. *Arist. H. A. l. 4. c. 2.* Hucusque Aristoteles.

Sexus. *Sexus* differentia in eo consistit, quod foeminae primus pes bipartitus sit, mari continuatus uno ungue. Foemina quoque pinnulas quae subtus sunt magnas habet, sed collum versus decrescentes. Mas omnes aeque minores. Maris etiam pedibus postremis quasi calcaria quaedam sunt: eaque tum magna, tum acuta, foeminae ejusmodi pars parva et inoffensa. Rondeletius addit in caudae supina parte foeminam habere appendices duplicis pinnis similes, ad contegenda et conservanda ova; mari simplices et parvas. Vulvam bifurcatam habere, Aristoteles testis est. *Arist. de Gener. l. 3. c. 8.*

Motus. De *Natatu*, pedes anteriores, in eo qui majores sunt moveri Bellonius negat, *Bellon. Aquatil. l. 2.* sed pinnulis, quas partim sub cauda gerit, partim in extremo ejusdem, tum quaternis reliquis pedibus natare asserit. Cum nullius rei metu afficitur, *Aelian. H. A. l. 9. c. 25* anteversus progreditur non praetensis sed obliquatis ad latera cornibus, ne aqua contra natantem ruens reprimat cornua, et ulterius progredi prohibeat. Retrocedens in metu, demittit et laxat eadem, et tanquam remis altius demissis Scapham propellens, multum itineris conficit. *Plin. H. N. l. 9. c. 30.* Latent mensibus quinis, et more arietum cornibus dimicant. Laedi non posse, nisi sub cauda, tradit Rondeletius. Antipathia. *Antipathiam* si attendas, tantum Polypum pavet, ut, si juxta viderit, omnino moriatur. *Plin. H. N. l. 9. c. 30.* Muraenam eadem aggreditur, et ex victa prandium instituit.

Usus. *Usum in Cibis* si spectes, Collimedon ideo Carabi accepit nomen, quod hoc cibi genere impense delectaretur. Eliguntur gravidae et tempore plenilunii. Praeferuntur in Italia ab Octobri usque ad Aprilem: praeferuntur et maximae, quales capiuntur in mari Indico, et circa Africae quoddam littus loco petroso, ut scribit Synesius. Plus carnis habent quam Cancri, ut Diphilo Siphinio apud Athenaeum visum, difficulter concoquuntur, sed admodum nutriunt salsi humoris sicci que participes, et si aqua dulci saepius coquantur, ventrem cohibent. Condituras vide apud Aldrovandum.

Usum

Usum in medicina quod spectat, Hippocrates puerperae, ut melius purgetur, praescribit. Simeon Sethi testas combustas ac cum meraco vino potas renes calculosos expurgare scribit.

Hippoc. l. de morb. mulier.

Articvlvs II.
De Astaco.

Pvnctvm I.
De Astaco marino communi.

Tab. II. 2.
Nomen.

Astacus ex sententia Rondeletii, quasi ἀςάκτος, id est, non destillans, sed abunde fluens dicitur, quod tubercula plurima, tum alba tum purpurea guttarum, sive lachrymarum specie forcipibus inspersa habeant.

Descriptio.

Est vel Marinus vel Fluviatilis. Ad eum Leo seu Elephantus Plinii, et iste, quem hic descripturi sumus, pertinet. Est autem Astacus colore toto nitido, sed nigritia insperso. Pedes inferiores grandes, ad octo usque habet: ab his grandes ipsos duos multo majores et mucrone latiore, quam locusta, sed specie diversa. Dextri namque summum latum oblongum tenue est: sinistri crassum et teres: utriusque vero bipartitum, ac quasi mandibula cum dentibus infra supraque. Quanquam dextro dentes serrati sunt omnes, alterius primores serrati: at interiores tanquam molares. Inferiorum ordo quaternis aequalibus, superiorum ternis inaequalibus expletur. Movent partem superiorem utrique, et ad inferiorem premunt: ac valgi quidem sunt situ inferiore, tanquam a natura destinati ad protendendum et premendum. Supra hosce duo alii hispidi paulo infra os. Mox haud longe infra, branchiae circum os multae et hispidae, quas assidue motat. Hi pedes, qui ori praesto sunt, extantibus quibusdam tenuibus barbulis asperantur. *Dentes* duos habet ut locusta: supra hosce cornicula breviora ac tenuiora quam locusta. Tum alia quatuor eadem specie, sed breviora et tenuiora, super his oculos pusillos breves. Prominet *pars*, cui subsunt oculi, acuta et aspera quasi frons, major quam locustis. Omnino facies acutior, pectus autem latius: totumque corpus carnosius ac mollius quam locustae. Octo *pedum* quatuor bifidi, quatuor non: quod collum appellatur, quinque in partes divisum est extrinsecus. Tum est sexta pars lata quinque producta plagulis. Hactenus Aristoteles. Gesnerus Chelam faciem hominis ridiculam repraesentantem exhibet. Nam Chelae pars minor maximum et aquilinum nasum refert: et quae in utriusque partis confinio apparent verrucae, oculos, si supercilia addantur. Superiorem partem quatenus seu cornicula quatuor supra nasum et frontem eminent, caeruleo aliove colore si pictor inducat, ad repraesentationem pilei auriti et ad latera descendentis, ita tamen, ut aures lateant: retro et circa tempora pili promineant nigri. Facies partim albo inducatur pigmento, roseo fuco niteat. Linguae instar partis chelae majoris tubero rubicundo colore insigniantur. Quod si cristam quoque e pennis praesertim gallinacei, capi aut pavonis nutantem, foramini summo indideris, plane Gorgoneam et terribilem habebis faciem.

Arist. H. A. l. 4. c. 2.

Nunquam non in Oceano frequentes: in Euxino tamen nulli. In saxis habitare Oppianus prodidit: Aristoteles in terrenis. Circa Thasum et Hellespontum nascuntur. *Coëunt* eodem modo, quo caetera crustata. Mas foeminaque nulla nota insigni inter se differunt. Nam utriusvis utramlibet forcipem majorem deprehendes; quanquam utramque aequalem unquam neutri. Ore mare excipit, cum locustae ad branchias transmittant. Sine humore longius a mari deferri nequit: et tam est loci patrii amantissimus, ut non longe deportatus, eodem adrepat. Polypum extimescit.

Locus.
Oppian. Hal. l. 1.
Arist. H. A. l. 5. c. 17.
Generatio.
Aelian. H. A. l. 8. c. 22.
Aelian. H. A. l. 6. c. 22.

Uſus in Cibis.

Quantum ad *Uſum in Cibis*, optimi illi apud veteres, qui in Methymna capiebantur. Omnes difficulter coquuntur, et tarde deſcendunt: rite confecti et praeparati non imbecilliter alunt. Mneſitheus aſſos elixis praetulit.

PVNCTVM II.

De Leone ſeu Elephanto et Aſtaco parvo Rondeletii.

TAB. II. 5.
Nomen.
Bellon. de Aquatilib. l. 2. c. 3.
Aelian. H. A. l. 14. c. 9.

Cruſtatum quod hic deſcripturi ſumus, nomen Leonis vel a magnitudine, ut Aldrovando videtur, vel a colore flavo, quo vivus conſpicitur, ut Rondeletio placet, ſortitum eſt: Bellonius cum Elephanto Plinii idem facit, quod eadem ſit Leonis apud Aelianum et Elephanti apud Plinium deſcriptio.

Deſcriptio.

Corporis ſpecie Aſtaco affinis eſt, ſed brachia longiora habet, forcipes tenues et latiuſculos, quorum ſciſſura major, quam in ullo alio Cruſtatorum genere. *Pedes* tres, qui proxime brachia ſequuntur, longiores ſunt, aculeati, in calcaria terminati: ultimus exiguus brevis et tenuis, neque aculeis, neque pilis munitus. Praeterea ab Aſtaco dorſo aculeis differt, quibus cum locuſta convenit. Utrinque *cornua* duo longiſſima tenuiſſimaque habet, item alia in fronte brevia, inter quae unum in fronte eminet acutum, neutra parte ſerratum, haec ſunt oculorum propugnacula, qui cornei ſunt et prominent. *Corpus* totum undulatum eſt, inſtar panni ex hircorum camelorumque pilis contexti. *Cauda* perinde ac in Aſtacis in pinnas quinque deſinit, ſed lineis magis diſtincta. Scaliger unum vidit, cujus brachium puerilis brachii magnitudinem aequabat, quantum et ille, quem Aldrovandus Brunduſio ſibi miſſum deſcribit, habebat. Plinius Elephantum ſuum nigrum eſſe vult, id eſt, violacei exſaturati coloris. Nam κυανὸς Graece de nigro, ut de Aethiope, et caeruleo, ut de mari dicitur. *Forcipibus* adeo valent, ut obſervatum ſit, Maſſiliae vulpem per totam noctem, ab uno detentam fuiſſe.

Plin. H. N. l. 32. c. 11.

Uſus.

Apponuntur lautis in Italia conviviis, Aelianus, adipem ſqualidae et infuſcatae faciei nitorem afferre, reliquit.

TAB. II. 6.

ASTACVS *parvus marinus Rondeletii* ſemper eſt parvus. *Corpus* ei vivo rubeſcit, alioqui lineis caeruleis tranſverſis variatum. *Capite* et thorace eſt rotundiore quam fluviatilis, in lateribus inciſo. E capite eminet *Cornu* latiuſculum, magnum ſi totum corpus ſpectes, utrinque ſerratum, inter oculos ſitum, quos recondit et exerit. Cornua quatuor oculis praefixa ſunt, duo breviora cornu ſerrato viciniora, alia duo multo longiora, flexibilia, articulata. Chelam utrinque unicam habet denticulatam, quaternis articulis connexam. Utrinque pedes ſine forficibus. *Collum* tabellis conſtat, et in pinnulas deſinit. Sub cauda appendices ſunt ovis reponendis deſtinatae.

PVNCTVM III.

De Cammaro ſeu Aſtaco fluviatili et aliis.

TAB. II.
TAB. III.
Nomen.

Aſtaci fluviatiles Galeno καμμαρίδες, Athenaeo κάμμαροι, modernis Graecis Caranides et Caranidia dicuntur.

Deſcriptio.

Circa eorum *Deſcriptionem* non eſt quod multum laboremus, hoc tamen poni poteſt. Ventriculum mutim undique ambire, quam quidam ſtercus eſſe credunt, Bellonius hepar, ſed falſo, quod hoc ſolis ſanguineis datum ſit: Eundem tam miro artificio fabrefactum, ut etiam in ejus fundo alterum os comperias ſuis maxillis et dentibus refertum. Utrinque etiam ſpiraculum ſeu foramen ſub cortice ad latera oris videas, per quod aquam ore acceptam referunt. Branchias habere ex Ariſtotele Gaza et Rondeletius prodidere. Philoſophus enim βραγχιωειδῆ, hoc eſt, parvis branchiis ſimiles dixit.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 2.

Geſne-

Geſnerus cirros potius eſſe judicat, ad motum progreſſionis natationiſque a natura datos, vel ne aqua introrſum penetret. (Helmont. de Lithiaſi c. 7.) De *Lapidibus* memorabilia prodidit Helmontius, quae ſequuntur. Per plurimas inquit atque uniformes cancrorum diſſectiones iſta competi. Inprimis ſtomachum cancri eſſe in capite prope verticem. Mares enim quotannis aegrotare incipiunt, a menſis Junii medio: foemellae dein in Julio ante teſtarum exuvium. Sunt enim per dies novem et amplius velut ſemiexanimes ac immoti. Qua tempeſtate ſtomacho illorum exterius obducitur membranula nova, inter quam et ſtomachum veterem, eſt liquor quidam lacteus, qui ſenſim exterius in globum ſtomachi convexum, qua parte attingit, obducitque ſtomachum veterem, contrahitur utroque latere in concavum, ſtatimque lapideſcit. Interim nec tunc nec multo poſt cancer eſitat quicquam. Ideoque (paene incredibile) vetus ſive interior ſtomachus, ſenſim in mucilaginem alimentariam abſumitur; exteriorque ac novus alter ſtomachus, in vicem abſumpti, ſuccedit. Siquidem iſti lacti, ad ſtomachi veteris convexum ſubnato, obtenditur ſtatim pellicula, per modum lacti tepenti ſolitum: creſcitque lac iſtud, inter utramque praefatam membranam, utriuſque ſcilicet ſtomachi. Quae cuncta ducentis forte cancris diſſectis, dietim obſervavi, jucunda admiratione. Tandem reſidua pars lactis, cancro cedit in alimentum. Nihil autem cancer edit, aut in ejus ſtomacho reperitur, quantiſper iſti lapides ſunt in ſtomacho ejus, vivitque circiter XXVII. dies tam ex veteri ſuo ſtomacho, ſenſim abſumto, quam ex uſu reſolutorum poſtea lapidum. Hucuſque Helmontius. Albertus plenilunio creſcere putat.

Locus. *Reperiuntur* paſſim in fluminibus, lacubus, et rivis. In Pannonia tam frequentes, ut Julius Alexandrinus ſaepe ſupra triginta currus Aſtacis onuſtos, in foro Gammario Viennae numerarit. In Hiſpania non haberi affirmant quidam.

Victus. *Victitant* cadaveribus, et carnibus, et quidem his adeo delectantur, ut in Danubio de navibus ſuſpenſis, magna multitudo adhaereat. Ranas quoque appetere, Albertus teſtatur, et nos experientia comprobatum habemus. Per tredecim dies vivum abſque cibo conſervavit Geſnerus. *Sexus* notis diſtinguntur. Mares in ea parte, qua corpus ad caudam continuatur, ſubtus quatuor longas prominentes virgulas habent, quibus foeminae deſtituuntur. Cauda etiam illorum rotundior, planior et ſpiſſior; tenuis, vacua, et lata hujus, majorque tabellarum in eadem diſtantia.

Generatio. De *Generatione* hoc ſciendum, Marem in coitu primo ſupra dorſum foeminae aſcendere, mox ſe iſtam ſupinam vertere: per ſolam meatuum applicationem coire: membro enim quod alterius corpus ingreditur deſtituuntur: Ova per anum, per quem et excrementa reddunt, parere: et ſaepe minimos Aſtacos caudae matris adhuc adhaerentes conſpici. Albertus ova foeminae primo in corpore valde compreſſa eſſe, dein paulatim exire et virgulis curtis ſub cauda donec complectantur adhaereſcere, ſcripſit. Hyeme menſibus quinque *latent*, ſi communem opinionem ſequaris. Aliqui enim tum etiam apparere ac ad litora prodire; aeſtate ad optatas aquas gregatim concedere dicunt. Novilunio emaciantur, plenilunio pingueſcunt.

Antipathia. De mira quaedam inter Cancros et porcos *antipathia*, ſic Helmontius. In Marchia Brandeburgica locupletiſſima eſt cancrorum piſcatio. Vectores autem coguntur noctu excubias agere, ne forte porcus aliquis vel leviter ſubter currum tranſcurrat. Nam id ſi contigerit, mane, quotquot cancri in curru fuerint, inveniuntur mortui. Tam exitialis eſt porcus cancro.

Differentiae. *Dividuntur* in *Minores* et *Majores*. Illi, quod ſub ſaxis degant, ſaxatiles dicuntur; parte ſupina albicant, prona nigricant, elixi non undiquaque rubeſcunt. *Majores*, rotundiori ſunt magiſque crenato in Pado corpore, quam in Sequana, cujus dexter pes ſiniſtro tenuior eſt.

Usus. Locum in *Cibis* habere, omnes norunt, quamvis etiam difficilioris concoctionis esse certum sit: quia et longiore in ventriculo mora, mandatis frigidis et humidis in caput vaporibus, soporem inducunt. Martio et Aprili mensibus a quibusdam commendantur, luna inprimis accrescente. Venae quae in eis interdum reperiuntur, improbantur. Varias praeparationes apud Aldrovandum vide. *Medicis*, contra canis rabidi morsum, phtisin, febrem hecticam, urinae retentionem, calculum, inflammationem linguae et gutturis, et Cancrum in mammis inserviunt. Contra anginam sic a quibusdam praeparantur. Astacos circiter decem vivos contere: et stillatitios liquores intybi rosarum et papaveris erratici affunde, inde expressus succus vinum rubellum refert. Eo linguam abluere et diligenter ac penitus gargarizare oportet, deinde etiam haustum ejus mediocrem bibere, Linguam abstersam et purgatam larido insulso percinge, post horam et dimidiam, quicquid viscidae pituitae insederit, rursus absterge, et succo Astacorum praescripto denuo lava. Reliqua in Aldrovando vide. Praeparatio contra mammarum cancrum apud Hartmannum optima. *Lapides* quod spectat, rarissimum ex iis diureticum, febrifugum, et vulnerarium parari posse existimat. Helmontius, si in formam pristini lactis resolverentur. Usurpantur quoque contra calculum, cum nucleis persicorum et mespilorum: Contra sanguinis grumos, cum carbonibus e tilia aceto restinctis, etc. Huc pertinet *Astacus Caraboides*, et *Gammarus terrestris.* Ille colore est omni parte corporis cinereo, antennis quatuor, duabus longioribus, reliquis brevioribus, pedibus et chelis hirsutis. Pedes duo priores chelis proximi tabellas in extremitate circum undique serratas habent, ad natatum faciliorem forte utiles. Quantum ad hunc, Crustacei quoddam genus in terra latitat, maxime in India Occidentali, Cuarassas vocant, tam prope Gammarorum formam, ut cum effossum e terra conspexisset Julius Caesar Scaliger, ac roganti quid esset, in sepulchris inveniri alii dictitassent, a Gammaris abstinuerit diu.

Aldrov. de Crustat. c. 6. *Hartman. in praxi Chymiatrica.*

ARTICVLVS III.

De Squilla in genere.

TAB. IV. 3. 4. 5. 6. &c. Nomen. *Aldrov. de Crustat. c. 8.*

Crustata, quae Latinis Squillae, Graeci καρίδας, κωρίδας, et κουρίδας vocant, seu ἀπὸ τῆ κάρη, capite, quod Squillis majusculum est; seu ἀπὸ τῆ σκαίρειν, s. initiali abjecto. Heraclides Colybdaenas apud Athenaeum vocat, quo nomine Epicharmus, ut Nicander vult, pudendum marinum intelligit.

Descriptio. *Aristot. de part. l. 4. c. 8.* *Descriptionem* si attendamus, *Caudam* habent, sed forcipe carent, forte quod pluribus pedibus, in quos redundantia illa absumitur, instructi, si Aristotelem et Rondeletium sequimur: At Bellonius pedes forcipatos habere scribit, chelas etiam Aelianus, et quidem maximas Indicis in Gange fluvio attribuit. *Corpore* sunt vere nigrescente, sed postea albedinem recipiunt. *Cornua* etiam habent Oppiano teste acuta, et in summo capite posita: Aelianus aculeum acutissimum triremis rostro similem, et sectura, serrae modo habere scribit. *Oculi* sub eodem munimento praeduri eminent. *Intestinum* quoque recte in caudam veluti Locustis et Astacis finit, qua excrementa emittunt et ova pariunt.

Arist. H. A. l. 8. c. ult.

Locus. *Oppian. Halieut. l. 1.* *Vivunt* in marinis palustribus et saxosis locis. Ab illis ἑλέιοι, Aeliano, ab his petreae Oppiano dicuntur. Indicum mare majores alit, quae in profundo haerent, ut minores littoribus gaudent. In diffractis saxis in mari rubro reperiri, prodidit Theophrastus, quod de vivis an de figuris sumendum sit, dubitatur. Habentur et in Oceano Germanico, et Gallico, mari Tyrrheno et Adriatico. Circa Jasum magnas celebrat Archestratus.

Victus. *Aelian. H. A. l. 1. c. 30.* *Victitant* ostrearum carnibus: Aelianus quasdam alga vivere prodidit.

De

Arist. H. A. l. 4. c. 2. Sexus. De *Sexu* ita Aristoteles. Distinguitur a foemina mas duabus particulis candidis, quas ipse peculiares habet in carne pectoris, sed ab ipsa discretas tum colore, tum concretione, similes sepiarum promuscidi. Vorticosae hae sunt, quemadmodum buccini anfractus, quem Graeci μήκωνα, id est, papaver vocant: Oriuntur eae ab acetabulis, quae sub extremis sunt pedibus. Est etiam in pectore caro rubra, sanguinis colore, quae tamen attrectata dilabatur, neque similis carni sit. Ab eo meatu, qui in pectore buccini refert speciem, alia est sinuatio funiculi crassitudine, sub qua duo, quaedam sunt appensa intestino arenacea genitali semini destinata. Atque haec mas habet. At foemina ova ibi, colore rubra, quae annexa ventri, atque utrinque ad latus intestini, ad carnosas usque partes, membrana tenui continentur.

Generatio. *Coëunt* more quadrupedum retro mingentium, scilicet, ut foemina caudam supinam exponat, mas suam superimponat et applicet; et coëunt ineunte vere juxta terram, et cum ficus maturescunt.

Antipathia. *Inimicitias* cum Labrace exercent, et a Phycide ac Lupo comeduntur. *Aelian. H. A. l. 1. c. 30.* Quo se modo ulciscantur, apud Aelianum habemus. Cum se, inquit, interceptas sentiunt, fastigium quod eminet a capite, quodque simile est acutissimo triremis rostro, atque in summa parte secturas habet, modo serrulae uncinatae, hoc, inquam, animosae illae bestiolae cum incurvarint, summa laevitate saliunt, et tanquam saltatorium versant orbem. Lupus ore hiante squillam lassam comprehendit, haec in gutturis laxitate saltat, ut gula intumescat.

Usus earum et in *Cibis* est et in *Medicina*. Usus. In *Cibis* pretiosum piscem Juvenalis nominat. *Juven. Satyr. 3.* Apicius tanti grandiusculas faciebat, ut earum gratia in Africam navigaret, cumque priusquam navi exiliret Minturensibus *Athen. Dipnos. l. 1.* minores animadverteret, gubernatorem, nulla excensione facta, eadem via Italiam repetere juberet. Hodie elixantur et cum aceto comeduntur: friguntur etiam in sartagine cum oleo farina adspersa. Olim ficus foliis assatae involvebantur. Difficulter concoquuntur, stomacho nocent, et Veneris desiderium excitant. Hoc et sibi contigisse Cardanus testatur. Hecticis eximie prodesse nullum dubium. Ajunt tritas et particulae impositas, cuspidem vel sagittam, si quae infixa, singulari attrahendi vi educere. Quidam escae ad mugiles capiendos admiscent. Iisdem et lupus piscis inescatur.

ARTICVLVS IV.
De Squilla in specie.

PVNCTVM I.
De Squilla lata sive Ursa.

TAB. IV. 3. 4. 8. 12. Nomen. Quam Squillam latam Rondeletius vocavit, hanc nos *Ursam* et quidem Aristotelis cum Bellonio et Scaligero dicimus. Ubi enim porrecta jacet, ursi corium extensum repraesentat. A Squillis eam separavit Aristoteles, quod sub Squillarum nomine non notet. Neapolitani Messanenses in Sicilia Messacaram, quasi sit ἡ μείζων καρὶς, vocant.

Descriptio. Rondeletius eam ita *descripsit*. Locustarum est magnitudine, sed latior, multo et magis depresso corpore et hirto, in fronte ossa duo, utrinque unicum, in ambitu serratum, in quibusdam acutius, in aliis latius. His pinnae duae alligantur. Inter haec duo enascuntur cornua, initio articulata, circa media bifida, ut ex duabus quatuor fiant, non valde longa. Brachia duo habet cum aculeis, veluti clavis eminentibus, pedibus majora, non bifida, quae in os flectuntur, quibus ori cibum tanquam pedibus admovent. *Pedes* utrinque quaterni sunt. *Oculi* parum prominent. *Frons* quadrata, et latior, quam in ullo Crustatorum genere. *Tumores* multi per dorsum sparsi sunt, ex quibus extant tubercula, quorum summa pars adeo rubet, ut carbunculos in annulorum pala inclusas dicas.

In Coenosis *vivere* argumento est, quod luto obsita e mari extrahatur. *Scalig. Ex. 245.* Raro in Gallia capitur; Romae et Neapoli frequenter; in Africa frequentissime. Circa Minturnas Campaniae oppidum majores sunt Smyrnaeis. Idem eis pariendi tempus natura statuit quod Locustis. Per hyemem et vere prius quam ova excludunt, laudantur. Et haec de Ursa, quae *Major* dicitur, accipienda sunt. Est alia, quam *Minorem* et *Caelatam* vocant. Scaliger *Cangren* Aristotelis credit, Rondeletius *Cicadam marinam*, quod cum Cicadis terrestribus magnam similitudinem habeat. Quinque tabellis constat, et dorso egregio naturae artificio varie caelatis et sculptis. Tota rubet. Dodrantalem magnitudinem vix superat.

PVNCTVM II.

De Carangone et Squilla gibba.

TAB. IV. 6. Quas Aristoteles κραγγόνας aut κράγγας, Hesychius κραγγόνας vocat, eae Gazae sunt Crangines.

Descriptio. Est vero haec Squilla, si *Descriptionem* attendas, palmi majoris longitudine. Contegitur crusta tenui, laevi, candida, nonnunquam ex albo parum rubescente, quae cocta, tota rubescit, cornu instar pellucida. E dorso enascitur *cornu* in fronte serratum, sursum recurvum, cujus denticulatae asperitates in superiore et inferiore sunt parte, non in lateribus. *Oculi* sunt cornei, in quibus subjecta pars cava cochlearis modo. *Cornua* sunt quatuor, ex quibus duo bene longa, tenuia et flexibilia. *Pedes* habet quinos; qui in calcar terminantur terni sunt.

Posterior pars pro reliqui corporis crassitie et magnitudine longa, septem tabellis constans, in quatuor pinnas desinit: e quarum medio extat aculeus latior, quam in Squilla gibba. Quam Gesnerus vidit, partim rubebat, partim dilutius albicabat, ad latera flavescebat.

Usus. Sunt omnium crustatorum sapidissimi. Carne tenera dulci, boni que et multi alimenti constant. Caudae in primis crusta spoliatae, cum pipere, sale et aceto, mensibus Februario, Martio, Aprili, Majo, laudantur.

TAB. IV. 5. 13. SQVILLA GIBBA κυφή, propter gibbum, quem habere videtur, dum se curvat, dicitur. Descriptio. Alii καμπύλας et κυρτὰς vocant. Graeci moderni Caridas et Caranidia nuncupant. Crangonibus sunt tenuiores, maxime in cauda extrema. Senos ante frontem gerunt valde tenues cirros. Caudam contractam, in cujus extremo pinnae sunt quinae: quarum quae medio loco posita est, serratam duram, atque in acutum fastigiatam formam habet. In Santonum littore maxima earum copia. *Arist. H. A. l. 5. c. 17.* Ova *pariunt* et generant Locustarum more. Ceterum menses circiter quatuor gerunt. Cornu frontis elatum in palatum Lupi piscis infigunt, eumque interimunt. Ubi tanguntur saltant, ac tangentem saepe expavescunt, *Anaxandr. in Pindar.* corpusque in aqua gibbosum arcuato motu promovent erucarum modo. Vendebantur olim in sportulis ex junci vimine contextis, friguntur cum oleo in sartagine: aut elixantur in aqua et comeduntur cum aceto.

PVNCTVM III.

De Squilla parva, et Squilla Manti Rondeletii.

TAB. IV. 7. *Squilla parva* nomine proprio caret. Σκύλλαρον Aristotelis non est, ut perperam Gaza convertit. Chelas enim hoc, Astaci modo, habet. *Arist. H. A. l. 5. c. 15.* Quidam ἐγχλώρους a colore fortasse, quem vivis Rondeletius obscurum tribuit, dici volunt. Alii μελικαρίδας apud Athenaeum propter suavitatem in cibo. Duplex istarum est *genus*. Differentia et descriptio. Unum *Majus*, duriore crusta quam Squilla gibba, quod vivum in aëre saltat, et noctu ut candela lucet, *Cambaretto* Romanis.

Alterum

Alterum *Minimum*, et tam exiguum, ut mille vix libram aequent pondere, Venetiis frequens. Cocis quibusdam Brava, Vasconibus, Civade, id est, avena, pugillatim enim devoratur. *Caput* habet pro Corpusculi magnitudine crassum et latum, sine cornu. *Caudam* tenuem, gibbum parvum. Oris appendicibus et aliis Gibbae similes, punctis aliquot variatur. Bellonius vivas subfulvas spectari ait, coctas rufescere.

Locus. Et in mari, et in fluviis nascuntur: etsi Bellonius longe a mari provenire dicat. De Garumna canistris excipi, Scaliger testis est. Tarentinus fluviatiles nominat.

Usus. Carne sunt adeo dulci, ut fastidium pariant. Vix ullum aliud Cibi genus, teste Rondeletio, dulcius degustaveris. In aqua hordei lotae, et in carnis jure coctae, hecticis maxime conveniunt. Cum crustis adjecto pipere elixae, venerem stimulant. Icon quam hic damus, Gesneri squillam parvam exprimit.

TAB. IV. 9. *Aldrov. l. 2. c. 16.* SQVILLA MANTIS, nomen a bestiola quadam ex Locustarum genere accepit, nec antiquis est dicta. Occitani eam Preguedieux, id est, precantem Deum appellant, quod semper manus junctas teneat, et corpore sit, jejunantium instar, gracili et macilento. Divinare eandem vulgus credit, et de itinere quaesitam alterum brachium extendere.

Mathiolus *Hippocampum* appellat, Bellonius *Cicadam marinam*, quam *Speusippi Nympham* esse suspicatur, eandem ita *descripsit*.

Descriptio. Tenuis est, inquit, hujus crusta, cruda ita albicat, ut fere transpareat. Una cum pisciculis marinis saepe suo cortice contecta extrahitur, et simul cum carpionatis, bocis, maenis, et trachuris canistris inseritur. Natura incredibili fere artificio. Cicadae oblongum corpus decem *tabellis*, affabre articulatis loricavit: quarum prima, quae caudam extremam conficit, caudam in lateribus expandit. Cauda porro duabus maculis phoeniceis subrubris insignita est, quae duorum oculorum speciem prae se ferunt, estque aculeata et crenata. Prima tabella a cauda incipiens, versus secundam, tertiam, quartam, quintam, et sextam, pinnulis fimbriatis multiplicibus subtus munita est: quibus, dum in mari natat, aquam percutit, et corpus incitat.

Tres *tabellae*, quae sex praedictas subsequuntur, ternis utrinque pedibus communitae sunt, ad cervicis autem initium, duo brachia majora oriuntur, quibus cibum apprehensum ori suggerit: sed ea cancris, alter quam locustis forcipautur. Sunt enim in longum exporrecta, atque in extremo grandioribus crenis suffulta, quibus cum cibum corripit, ex uno brachio, ad aliam brachii articulationem transfert.

Horum autem extrema velut in duritiem osseam abeunt dentiscalpiis conficiendis ob id expetita. Pars quae capiti contigua est, in exile quiddam terminatur, et contra quam cauda se in latum diffundit. Extra aquam prorsus immobilis et imbecillis est.

Aculeum unum habet utrinque ori praefixum, ut Phalangium et Scolopendra, quo mordicus cibum a pedibus suggestum continet, quem postea dentibus conficiat, et in stomachum detrudat.

Dentes illi natura in oris lateribus protulit, unico utrinque ossi crenato, V. litterae formam referente infixos. Cujus anterioris partis officium est, ea incidere, quae mandit: posterioris vero, quae crenas habet, conterere. Nam idem os, duos habet dentium ordines.

Praetenturas duas in fronte breves, ursinis similes, ostendit, trifariam in extremo diffissas: ac rursus duas alias in lateribus praedictis breviores. *Oculos* habet virides, exertos, quos non alveo ut Cancrinum et Locustarium genus condit: sed ante hos pinnulas exporrigit eis similes, quas in cauda gerit: ex quo multi decepti caudam *caput* esse crediderant. Strias rectas in tergore, atque in capitis tabella ductas profert. Pisce dissecto, *dentes*, fortibus musculis movere conspicientur. *Cerebrumque* adeo esse exiguum, ut vix hordei grani magnitudinem aequet:

quet: Optici tamen ad oculos perduci apparent. Rondeletius toto corpore pellucido esse addit. Eodem modo parit et coit, quo aliae squillae.

Usus. Carne est molli, dulci, delicata. Huic affinis est *Tamaruguacii* Brasiliensium, *Camaron de Salgado* Lusitanis dicta. Caput habet triangulare. Barbam cancerinam octuplam. Et in eo tantum a Manti differt, quod in anteriori parte corporis pedes non habeat, nec brachia interius serrata. TAB. LI. *Marcgrav. Hist. Brasil. l. 4. c. 20.*

CAPVT II.
De Crustatis rotundis.

ARTICVLVS I.
De Cancris in genere.

Crustata, quae Latini Cancros vocant, Graecis *καρκίνοι*, quasi *κορακίνοι*, quod *κόρας*, id est, pupillas, et oculos mobiles habeant, dicuntur. Siculi *κάρχας* vocant, Hesychius *κάβειρους*. Apud Varinum *πτύξαχεις* vel *πύξαρις* Cancer dicitur, quod ostrea lapillo inter testes seu valvas (*πτύχας ἢ πύξια*) injecto, venetur. *Caudam* habent revolutam, hinc *ἐπικάλυμα πτυχῶδες* Aristoteles vocat, quae ex tabellis constat, et corpus posteriore parte integit: *Caput* indiscretum. *Cerebro* carent, etsi partem quae cerebri fungitur munere habeant. In obliquum aspiciunt inclusis crustae fragili oculis. Pedes, qui in obliquum feruntur, eis deni cum forcipibus, quorum dexter in omnibus major, et in primoribus superior pars movetur, inferiore immobili.

Descriptio. *Arist. H. A. l. 4. c. 10. et 3.* *Plin. H. N. l. 9. c. 13. et l. 11. c. 48.*

Dentes interius bini primores, et inter eos caruncula linguae effigie. *Stomachus* ori continuo junctus exiguus. *Aristot. de part. l. 4. c. 8.*

Mollibus et petrosis *locis* gaudent: quin et sub terra inveniuntur. Hyeme aprica littora sectantur aestate in opaca gurgitum recedunt. *Plin. H. N. l. 9. c. 31.* Locus.

Victus. *Vescuntur* conchiliis. Polypum ob nimiam Venerem imbecillum devorant, nec a suo genere abstinent. Aquam quam ore excipiunt, parte oris exigua emittunt, hinc apparet circa os spuma, quod aqua et aër, qui cum ea hauritur, per attractum et rejectum agitentur. *Arist. H. A. l. 4. c. 2. et l. de Respirat.*

Galenus dulci et salsa aqua vivere scribit. Lacte potatos sine aqua diutissime, author de natura rerum. *Galen. de cib. bon. et mali succi.*

Generatio. *Generationem* si spectes, Cancri parte priore copulantur, sua opercula, loculosa illa rugosaque, mutua consertione componentes. Primum Cancer minor ab averso supervenire solet, tum major, ubi ille supervenerit. *Ova* edunt in operculo, hinc istud foeminis latius, et hirsutius; ita a maribus discernuntur. *Arist. H. A. l. 5. c. 7.*

Addit tamen Plinius, foeminae primum pedem duplicem, mari simplicem, eundem duas inter ventrem et caudam spinas habere, quibus illa caret. *Plin. H. N. l. 9. c. 31.*

Motus. Soli e crustatorum genere non natant, sed incedunt, et quidem transverso latere, quod simiis et ursis, propter posteriorum pedum latitudinem, competit. Cum enim motus tractione et pulsione fiat, et sic secundum artuum flexiones, quae Cancris introrsum ad pectus sunt; ideo quasi cum triremes circumaguntur, lateris unius remiges impellunt, altrinsecus inhibent, aut retro trahunt, ita quam in partem processurus est cancer, ejus lateris utitur cruribus ad carpendum solum, alterius lateris ad aspellendum.

Natura, et Ingenium. Insidias incredibili sagacitate subodorantur, et confestim se vel luto obruunt, vel inter saxa subducunt. Universi ubi aliquando congregantur, os Ponte evincere non valent: quamobrem regressi circumeunt, apparetque tritum iter. Concurrunt inter se ut Arietes adversis cornibus. In capiendis ostreis et conchis, summa calliditate utuntur. Calculos enim et lapillos, patulae hiantique eorum testae ingerunt, ita ut occludi nequeat, mox dentato forcipe pisculentam carnem abra- *Plin. H. N. l. 9. c. 38.*

abradentes devorant. Sole ſignum Cancri tranſeunte, Cancrorum cum exanimati ſunt corpora in ſicco transfigurari in Scorpiones Plinius author eſt. Ovidius, brachiis orbos, ſcorpios, ſi ſub terra occultent, urproducere, prodidit. Latent menſibus quinis, et veris principio ſenectutem anguium more exuunt renovatione tergorum, et tum mollis admodum cruſta ſubnaſcitur, et vix prae teneritate ambulare poſſunt.

Ovid. Metam. l. 15.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

Uſus.

Durae ſunt carnis, ideo difficiles concoctu, ſed firmi alimenti. Id apud Galenum, Athenaeum, et alios invenies. Nec in *Medicina* ſpernuntur. Plinius Sole cancri ſignum tranſeunte contra ſerpentum ictus mederi tradit. Sues percuſſas hoc pabulo ſibi mederi Thraſyllus author eſt. Apri hyoſciamo devorato Cancros pro remedio quaerunt. Cervi a phalangio vel quovis alio admorſi iiſdem ſibi medentur. Carbunculos et carcinomata in mulierum parte, praeſentiſſimo remedio ſanari, tradunt, Cancro foemina cum flore ſalis contuſo, poſt plenam lunam, et aqua illita, ut apud Plinium legimus. Ad ſtranguriam, tres in aceti cyatho cocti, in mortario contuſi et expreſſi propinantur. Succus cum aqua florum Cyani deſtillata expreſſus, gingivis puerorum in dentitione ſalubriter illinitur. Pulverem Ranzovii ad diſſectionem nervi apud Aldrovandum vide. Lapis in capite repertus, et aceto acerrimo immiſſus, motum manifeſtum habere depehenditur.

Plin. H. N. l. 9. c. 32.

Articvlvs II.

De Cancris in ſpecie, et quidem de Cancris extra conchas in ſalſis aquis degentibus.

Pvnctvm I.

De Cancro marino.

Tab. IV.
Tab. V.

Cancri degunt extra conchas, vel in iſtis. Illi vel ſunt in aquis ſalſis vel in dulcibus. Inter illos, qui in aquis ſalſis ſunt, *Cancer marinus*, *Cancer Maja dictus*, *Pagurus*, *Cancer eques*, *Cancer flavus*, *undulatus Rondeletii*, *Cancer varius*, *Cancer cordis figura* et alii *Chelarum longitudine* differentes. *Cancro marino* generis nomen inditum eſt, nec in ejus deſcriptione Rondeletius, Bellonius, et Geſnerus conveniunt.

Aldrov. de Cruſt. l. 2. c. 17.

Tab. IV. 1.
Tab. V. 2.

Deſcriptio.

Rondeletii acuminatus magis eſt parte anteriore prope oculos, et duo habet cornicula, quibus horum caret. Rotundo eſt ac circinato corpore Bellonii, anteriore parte crenis diviſo, cruſtaceo tegmine conveſtito. Majores trium aut quatuor digitorum latitudinem non excedunt. *Hepar* habent rubrum, quod Ariſtoteles mutim nominare videtur. Inteſtina multiplicibus cirris obſeſſa, moventurque horum partes ſolidiores albis muſculis agentibus. Aldrovandus aliam obſervavit ſpeciem, cujus pes ultimus, qui ab utraque parte eſt, brevioribus et craſſioribus conſtat internodiis, et aliis pedibus eſt curtior, in fine duabus, aliis articulationibus latior. Plurimi prope inſulam Canibalorum, quae hodie Domeneca dicitur, reperiuntur, et quia in ſaxis habitant, πετραίες Oppianus dixit. Sunt et *mares* et *foeminae*. Illis color rubentior, his ex livido in cyaneum tendit. Mares foeminas opprimere videntur antequam ineant. Crura in ventrem inflectunt, dum incedunt. Rondeletius foeminae partem ineſſe quandam croceam ſcribit, qua mares carent. Ovorum putat eſſe materiam. In Boſphoro Thracio, vento violento ingruente, contra fluctus nituntur: Circa promontoria, ubi major vis venti, ſinguli in ſinuoſo loco ſe tenent.

Aelian. H. A. l. 7. c. 24.

Uſus.

Maxime, *in Cibis*, foeminae cum ovis turgent laudantur, ideo majus earundem Bononiae pretium. In India ſucco dulci cum luna parturit turgere, plena eodem deſtitui, a quibuſdam proditum. *In Medicina*, phtiſicis carnem prodeſſe Rondeletius experientia docuit, quod et apud Marcellum invenies. Stranguriam ſanant ſi duarum drachmarum pondere ex lacte materno vel nutricis infantibus porrigantur. Ad quartanam, ſcabiem, et oculorum lachrymas ab Avicenna, ad Carcinomata a Plinio laudantur. Iidem pilos e mamma tollunt.

d Pvn-

PVNCTVM II.

De Cancro Maja dicto.

Tab. V. 5. Tab. VI. 2. Nomen. Cancer Majas dictus, nomen a magnitudine ſumſit. Mam μαῖα quae amitam et nutricem ſignificat, aliquando etiam pro grandiore natu ſumebatur.

Deſcriptio. Eo a Paguro differt, quod hic parte anteriore latus ſit, Maja ſe poſteriore in latitudinem diffundat, anteriore coarctetur, et magis orbiculata ſit.

Corpus illi tam grave, ut ad inceſſum ſit ineptiſſima, idque vivae livet, aut vireſcit, aut rubore phoeniceo aſperſum eſt; quam ſi ſupinam contempleris, tria parte anteriore brevia ſpecula ab ipſius cruſtae tegmine continuata cernes, inter quae praetenturae duae deliteſcunt. *Crura* quaternis articulis intercepta ſunt, alta et exilia. *Pedes* utroque latere quaterni, quinis articulis intercepti, unguibus bene muniuntur. Tibiae multa ſcabritie exaſperantur. *Foemina* operculum latiuſculum habet, ſub quo duo foramina membrana occluſa, in ipſis poſteriorum tibiarum radicibus collocata apparent. Quatuor praeterea ſemicirculis utitur in natando, a quorum radicibus octoni prodeunt pinnati ramuli, quibus haerent ova in foetis. *Interanea* ſi ſpectes, in capite atque adeo ore ipſo duos oſſeos dentes gerit: in palato, carunculam quae linguae vice fungitur: ante dentes bina denticulata oſſicula, atque in ejus ore cavitatem ſtatim ante gulam, in qua quod rubrum continetur, habet multiplices flexus. Vulvam eſſe Bellonius putat. Ex hac enim ova prodire compertum eſt. Subſequitur cavitas ſatis capax, vacua quidem ea, dum jejunus eſt piſcis, ut vel os alterum, vel ventriculum ejus eſſe dicas: cui etiam dentes adſunt numero quaterni, inciſorii, et unus molaris, a quibus gula incipit, in cujus ſummo epiglottidem manifeſte videas: ea autem ad apophyſes meatibus committitur adeo exilibus, ut vix appareant: et quemadmodum vulva adimplebat majorem partem receſſuum, ſic apophyſes ubique per cavitates immittuntur, tenuibus tamen ligamentis adſtrictae, et maxime muſculis. Nec eſt aliud inteſtinum manifeſtum, quam illud in quo deſinunt apophyſes, excrementi ſcilicet receptaculum. Eſt autem id teres, caeteris partibus incumbens, ad caudam uſque protenſum. Sed et veſicam utrinque unam in ipſa alvo, robuſtam, magnam et membranoſam cernas, cujus exitus eſt per ea duo foramina, quae ſub operimento latent. *Branchias* habet utrinque ſub teſta in lateribus numero ſenas: quae certa membrana ab ipſo tegumento diſtinguuntur. Aquam enim in ore acceptam per meatus, qui ad radices crurum ſunt, egerit. Haec omnia fere Paguro ſuo Rondeletius adſcripſit, quem vide. Ad Maeam pertinent et aliquot ſequentes.

Primus Hippocarcinus a magnitudine, cum addito *hiſpidus*, quod univerſum tergus aculeis ſpinoſiſque quibuſdam operculis obſitum ſit, quae ad latera majora videntur, dicitur. Tab. IV. 6. Supra oculos emiſſitios e tabulis quibuſdam ad latera protenſos fronte media, duo velut cornicula acuta exeunt. *Os* infimo loco ſitum, duo veluti brachiola intus tota villoſa muniunt. Quinque ab utroque latere pedes, ſi brachia annumeres, in totidem articulos diſtincti. Chelae anteriori parte, brachium puerile aequant, forcipibus fuſci coloris, e quibus villoſa quaedam prominentia ſtamina inſtar penicilli.

Alter eſt parte ſupina Hippocarcino non diſſimilis. *Cauda* eſt ovalis fere figurae, et extremo in anguſtam, appendicem ſcutiformem quinque angulorum ſeu pentagonam deſinit. Inſignis in eadem ſcutellata cavitas apparet. *Os* multis veluti brachiolis villoſis, ſuperne et inferne circumſepitur. In *ventre* plana cavitas, ovis retinendis aptiſſima.

In *Tertio* ſenae ſpinae majuſculae latera utrinque ambiunt: et binae maximae frontem muniunt. Duos palmos eſt longus, chelis, brachiis, et ſupina corporis parte tuberoſus, et hiſpidus.

Quartus

Quartus ejuſdem eſt figurae, ſed pluribus ſpinis ab utroque latere et in dorſo horret, pedibus et brachiis hirſutus, et ſupina parte, variis coloribus, ſed praeſertim rubro, maculatus.

TAB. IV. 4. 5. 6. *Quintus* quem Heracleoticum Rondeletius vocat, aculeos in fronte habet et in lateribus. Pars teſtae prona aculeis aſpera eſt, et hirta, coloreque fuſco.

Sextus aſperitatem in teſta tomentoſam habet, coloreque eſt cinereo et fuſco.

Reperiuntur in Aegaeo, Ionio et Adriatico mari. Locus.

Mares eliguntur autumno, hyeme et Aprili menſe *ad Cibum*, in plenilunio: foemina vero reliquo anni tempore uſque ad Septembrem. Aſſantur etiam in furno ano et ore clauſis, ne quod intus eſt liquidi effluat. Uſus.

PVNCTVM III.

De Paguro.

TAB. V. 13. 14. TAB. VI. 1. 3. 4. Nomen. Paguro, παρὰ τὸ ἄγρειν καὶ φυλάττεσθαι ἐν πάγοις, id eſt, κρεμνώδεσι τόποις, quod in locis praeruptis verſetur, nomen inditum eſt. Simeon Sethi eum Carcini appellatione dignatur. A Palladio Cancer marinus dicitur. Scholiaſtes Ariſtophanis Caraburi exponit. Moderni Graeci Paguri nomen adhuc retinent, idemque in Dalmatia, teſte Maſſario retinetur. Deſcriptio. Latior eſt quam longior, et ex Oceano in pedalem longitudinem abit. Viſus in Anglia decem libras pendere. Valida cruſta integitur et laevi, eaque novem in gyrum crenis imbricis modo inciſa eſt. Color vivorum vividiore prae nimia roſei exhalatione veluti ſubnigra tergora apparent. *Crura* utrinque blaeſa quatuor habent, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus ungues acuti oblongique ſunt minime biſidi. *Brachia* biſulca parte anteriore binis articulis intercepta forcipibus crenatis munita, in extremo nigra: quibus quae conſtringunt ut edant, etiam dura confringere poſſunt. *Branchias* utrinque in latere oſtendunt diſpoſitas, ut reliquum genus Locuſtarum, ſub tergoris cruſta ſenis ordinibus ad tibiarum radices inſertas. In *ore* tot comperies naturae ſecreta, tot adſtantes appendices, tot pelliculas, ut coactus incredibile artificium neceſſe eſt fatearis. TAB. V. 3. 10. *Mutim*, quae hepar eſt, habet dulciſſimam, maxima ex parte ſubrubram, cum infinitis prope apophyſibus flavis grandi ſtomacho adjacentibus. Reliquae partes internae muſculis albis conſtant, quibus externae moventur.

Rondeletius ſub nomine Cancri Majae deſcripſit. *Differentias* ſi ſpectes, alius eſt Mas, alius Foemina. Differentia. Scaliger alium orbiculatiorem, fuſciorem, et majorem facit; alium quadratiorem et minorem, colore dilutiore, et paene pallida viriditate. Poreſſos vocant Veneti.

Huc pertinet *Cancer Heracleoticus* Bellonii ab urbibus Heracleis, quarum una *Ponto*, altera Propontidi adjacet, dictus. *Cruſta* firmiore munitur ut Maja, *Tibias* utrinque quaternas habet, *brachia* duo admodum firma, binis articulis geniculata, forcipibus robuſtis biſulca, hiſpida, et bene armata, quorum pars ſuperior elatis crenis vallata eſt. Nonnulli *Gallum marinum* vocant, quod brachia ejus in criſta galli modum tornata videantur. *Dorſum* tuberculis exaſperatur et coloris eſt miniacei.

Huic ſimilis eſt *alter* pilorum denſitate, Urſi corium referens. Differt a priore primum chelis, quae longiores ſunt, et in extremo utroque, quae forcipem facit, et inſtar dentium ſibi invicem dum clauduntur contingunt, colore miniaceo: praeterea pedibus brevibus, quorum duo poſteriores utrinque breviſſimi, antennis et oculis magis a ſe invicem diſtantibus. *Invenitur* in mari Tyrrheno et Adriatico: ſed in Oceano maximus. Vidit Rondeletius unum, cujus latitudo palmum majorem ſuperabat, longitudo ad ſemicubitum accedebat. Alexander apud Aelianum genus quoddam Cancrorum commemorat, quorum teſta circumferentia undique pedis *Aelian. H. A. l. 17. c. 1.*

dis menſuram impleret. Miras eorum magnitudines in ſinu quoque Perſico Strabo refert. Suetum ipſis in tegumento ſe exuere. Hoc cum luxari et a corpore abſcedere ſentiunt, ſuriis quaſi agitati huc et illuc feruntur, et pleniorem victum quaerunt, ut tumore inflatis facilius cruſta rumpatur. Elapſi ſimiles mortuis in ſabulo jacent, ſibi reſtituti ſabulum guſtant, et poſtquam ſe abdidere, non citius ex latebris, egrediuntur, quam priſtina armatura inſtructi. Muſicae ſunt adeo amantes, ut eadem capiuntur. Captos aliquando foramina ſubire, et mortuos in Scorpios mutari Nicander prodidit.

Aelian. H. A. l. 9. c. 45. *Nicand. in Theriaca.*

Uſus. Inter lautiſſimos numerantur cibos, ſed difficillime digeruntur. Cum coquuntur parum ruſeſcunt et parum nigreſcunt.

PVNCTVM IV.
De Cancro Equite.

Nomen. Cancer Eques a velocitate curſus nomen accepit. Heſychio eſt δρόμων, Aeliano δρομία Curſor, aliis Graecis ἵππευς Eques. Major eſt Caſtanea parva, colore ſubalbido, punctis ſubrubris conſperſo, et ut Pagurus, tornato.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 2. *Plin. H. N. l. 6. c. 3.* *Aldrov. l. 2. c. 20.*

Deſcriptio. Soli objectus totus pellucidus eſt, praeterquam in ea corporis parte, quae interanea continet. *Oculos* grano phaſeoli non habet majores, quibus acutiſſime cernit. *Tibiae* ſunt villis levibus obſeſſae, utrinque quinae: quarum duae anteriores brachia ſunt forcipata, quibus cuncta complectitur: reliquae graciles unguibus rectis et obliquis variatae. Hujus generis forte erit, qui Rondeletio *Cancer latipes* dicitur, nucis juglandis magnitudine aliquando paulo majore. *Chelas* habet denticulatas et articulatas, pedes utrinque quatuor. Poſtremus et minimus, quod in oſſeam latitudinem deſinat, nomen Cancro impoſuit. *Teſta* eſt laevi, parte ſuperiore albeſcente, quodammodo nigricante. Cum maris purgamentis in littus ejicitur. Huic ſimilis eſt quem Bellonius Graecis μικρὸν καρκίνον, Romae Grancettum vocari ſcribit. Punctis frequentibus candidis in tergore variatur Ophitae modo. Singulares digiti quaternis conſtant articulationibus. Amphibii ſunt, et in maximis ardoribus meridiano tempore e mari egrediuntur, diemque ſub ſole tranſigunt, circa veſperam mare repetunt. Tanta velocitate ferri vidit Bellonius, ut ne unum quidem unquam curſu conſequi potuerit: quin nec lacertam ex ambroſia, ſub qua deliteſcebat, exilientem, aſſequi eundem potuiſſe. Volare potius quam currere videbatur.

Locus. Dromonem Heſychii quidam in maris aeſtuariis capi ſcribunt, ſaggittaeque modo per aquarum ſummum decurrere. Facit Aelianus quorundam mentionem, quos πετηλίας a volando (Gillius legit πηλίας) vocat, quod perparvis alis volatum exerceant, quibus currentes non utuntur. Poteſt ipſis ποδανέμων titulus, qui ex Cratete Comico ab Athenaeo datur, tribui. Negliguntur in cibis propter exilitatem. *Aelian. H. A. l. 7. c. 30.*

PVNCTVM V.
De Cancro flavo undulato Rondeletii, Marmorato, Cordis figura, et aliis Chelarum longitudine differentibus.

Tab. VI. 6. *Aldrov. l. 2. c. 21.* *Cancer flavus undulatus*, a colore et lineis, quae in prona parte ſunt ſinuoſae undarum modo, non aliter quam Cameloto vulgo nuncupato, nomen ſortitus eſt. Pedes quaternos habet longos et hirſutos: Chelas duas magnas, etiam hirtas: Cornua duo ſatis longa: in fronte appendices duas, in lateribus alias. Capitur circa Antipolium et Lerinum inſulam.

Tab. VI. 5. *Aldrov. l. 2. c. 22.* *Cancer Marmoratus ſive varius*, quod teſta ſit laevi, ac perpolita, et maculis viridibus, caeruleis, albis, nigris, cinereis, Jaſpidis inſtar et marmoris perſperſus ſit. Si mortuus in ſole exſiccetur, totus ſit flavus, maculae vero in mortuo ſtatim evaneſcunt. Forſices habet aliis breviores et craſſiores. Tubercula veluti gemmae in eis eminent, ut in Aſtaco. Cornicula duo e fronte extant. Poſt oculos, qui ſatis a ſe diſtant, teſta eſt ſerrata. In ſaxorum cavernulis degunt, et ita pedibus haerent, ut vix avelli poſſint. Cruſta ſunt

caeteris duriore. In ſaxis Agathenſis littoris degunt.

Tab. VII. 4. *Cancer cordis figura*, Cornua duo e fronte prominentia habet, brachia quoque duo brevi forſice, et quaternos pedes. Pelagius eſt, et panagro ex alto mari cum piſcibus in littus pertrahitur. In majorum Aſellorum ventriculis ſaepiſſime reperitur.

Aldrov. l. 2. c. 23. *Cancri chelarum longitudine differentes*, vel ſunt Μακρόχηλοι, vel βραχύχηλοι. Chelis vel tenuibus vel craſſis. Μακρόχηλοι chelis tenuibus, ſub Aranearum marinarum nomine apud Aldrovandum veniunt, et ſub tribus generibus exhibentur.

Tab. VI. 7. 8. 9. 10. 11. *Primum* eſt fuſco et cinereo colore, parte priore qua caput eſt, acutum, oculis parum a ſe invicem diſtantibus, cornibus duobus acutis.

Alterum corpore eſt rotundiore, quod ſub Aranei cruſtacei nomine venit.

Tertium magis rotundius, colore cinereo et fuſco, chelis quam priores craſſioribus, cui Aranei marini cruſtacei alterius in Tabula nomen inditum.

Differt ab his *Aranea marina*, cujus Ariſtoteles in Cancelli deſcriptione meminit. Forma enim ſimilis araneis eſt, niſi quod partem capiti et pectori ſubjectam araneo majorem habeat. Brachia forcipata habere pro corporis exilitate longiſſima Rondeletius addit. Μακρόχηλοι craſſis brachiis, ſunt hirſuti et aſperi, ut aculeati videantur. *Unus* eſt prona parte corpore et pedibus albus, unde albicantis nomen. Chelis caeruleis, ſupina vero ruber. *Alter* priore minor colore nigricante, unde nigricantis appellatio.

Βραχυχήλων aliquot ſunt ſpecies. Ex quibus Rondeletii ex rubro nigricat, Chelis valde brevibus ac tenuibus, pedibus proximis longiſſimis pro corporis ratione, craſſis, acutiſſimis, lanugine quadam obducta. Frequens eſt in Lorino inſula. Tab. VI. 12. 13. 14. 15.

Reliqui ſunt tenues et laeves, ſupina pars aculeos habet. Ex his unus ore eſt acuto admodum, et oculis a latere utrinque prominentibus, corpore undique aſpero. *Minutior* dicitur.

Congener brachichelo Aldrovandi lagenam craſſo ventre refert, caudam ſi demas. Capite eſt valde acuto, corpus parte ſupina aculeis horret, coloreque eſt caeruleo, prone albicat, forcipes Chelarum rubent.

ARTICVLVS III.

De Cancris fluviatilibus.

Tab. III. *Aldrov. l. 2. c. 24.* Cancer fluviatilis ſeu fluvialis, καρκίνος ποτάμιος Graecis dicitur. Simeon Sethus et Galenus, Pagurum fluviatilem vocavere. Eo a marino differt, quod ſit teſta duriore et craſſiore; tibiis aſperioribus, brachiis rugoſioribus, et cum marinus lividum loti corticis colorem referat, fluviatilis ex rufo nigreſcit. Marino, praeterea, ungues extremam tibiarum articulationem faciunt: fluviatiles multas crenas in gyrum circa ungues habent.

Locus. Fruſtra eos in Gallia, et Germania quaeras. In Graecia, Creta, Sicilia, et Etruria inveniuntur. Bellonius in Atho Macedoniae monte vidit, et in Ciliciae rivulis, qui non longe ab Iſſo defluunt. Tanta aliquando eorum ibi copia, ut temporis momento mille capi poſſint. In Nilo habitare apud Aelianum habemus. *Aelian. H. N. l. 5. c. 52.*

Sunt Sarcophagi, et cum ſe invicem tangunt, pedes ſibi arrodunt et vorant. Rondeletius cum ducentos Romae emiſſet, denique in aquam, ut ſeſe reficerent, conjeciſſet, ita inter ſeſe conflictati ſunt, ut plures quinquaginta mutilatos reperiret. Eo tandem deventum eſt, ut omnibus necatis, unus tantum ſuperſtes fuerit. Ibidem ligonibus effoſſa ſcrobe vel paropſide capiuntur. Juxta Epheſiam metropolim ſerpentes, qui ex caverna quodam egreſſi paludem tranare conantur, forcipibus arreptos interficiunt. Romae in foro piſcario, filo appenſi ac trajecti, proſtant. Victus. *Aelian. H. A. l. 16. c. 38.*

Eduntur omni tempore, ſed aeſtate ſunt meliores, et poſtea quam durum corticem exuerunt, magnatum menſis apponuntur. Lacte a quibuſdam ſuffocantur. Avicenna in hecticis febribus cum aqua hordei valde probat. Uſus.

In

In *Medicina* easdem fere habent vires quas et alii. Tritos potosque ex aqua recentes seu cinere asservato, contra omnia venena prodesse, privatim contra Scorpionum ictus, cum lacte asinino, vel si non sit, caprino, vel quocunque, Plinius author est; quod et apud Dioscoridem invenies. (*Plin. H. N. l. 32. c. 5.*) Ad viperae morsum bibuntur e vino per se, vel cum staphide agria, sale et polio, ut testatur Aegineta. Cinis ustorum prodest pavore potus periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. Aeschrion empiricus vivos in patella aeris rubri tam diu urebat, donec facile in laevorem redigi possent, luna decima octava, post canis syderis exortum, cum sol leonem ingressus esset. Hujus pulverem tenuissimum cochlearii unius mensura ex aquae cyatho propinabat, cum recentior esset morsus; augebatur quantitas, si inveteraverat. Huic remedio tantam vim inesse scribit Galenus, ut dicat nullos periisse, quibus hoc in tempore datum esset. Id ex proprietate substantiae fieri idem credidit. Triti in oleo et aqua peruncti, ante accessiones in febribus prosunt, teste Plinio. (*Plin. H. N. l. 32. c. 10.*) Archigenes apud Galenum ex cancris siccis tritis, pedibus et eminentiis amputatis, drachma una, et asari drachma altera, cum aqua ex eodem flumine ex quo cancri sumta, medicamentum aquas educens componit. Hippocrates in vino suffocatos in fluxu uteri propinavit. (*Hippocr. de morb. mulier. l. 1.*)

ARTICVLVS IV.
De Cancris in conchis degentibus.

PVNCTVM I.
De Cancris parvis.

TAB. VII. 3. 5.

Praeter ea, quae hactenus retulimus crustata, sunt et alia, quae in alienis conchis, ut Mitulis, pinnis, pectinibus, ostreis, ac varii generis turbinatis degunt, ut Cancelli, Cancri parvi, Squili, et Scylari, figura non usque adeo a praedictis diversa.

Descriptio. *Cancer parvus*, qui pinnis innascitur, πιννοφύλαξ, quasi ὁ τῆς πίννης φύλαξ, ut Suidas, Hesychius, et Varinus tradunt, πιννοτήρης Chrysippo, ut Athenaeus citat, ἀπὸ τοῦ τηρεῖν ἢ φυλάσσεσθαι τὴν πίννην, dicitur. Sunt autem, qui in ostreis reperiuntur, parvae fabae magnitudine, toto corpore candidi, praeterquam, quod pronae crustae medium rubescat. In pinnis qui degunt, majores sunt et magis rubri, alioqui chelis, pedibus, toto denique corpore aliis similes. A Cancellis eo differunt, quod parvi cancri viventium pinnarum et ostrearum hospites sint: Cancelli inanes duntaxat testas et turbinatas subeant, sintque longo corpore Locustis non Cancris simili.

Generatio. De *Generatione* non conveniunt authores. Piscatores cum illis, quorum testis inhabitant, quasi ex eodem semine nasci tradunt, teste Aristotele. (*Arist. H. A. l. 5. c. 15.*) Apud eundem ista invenies verba. Pinnae quae petris aut saxorum cavernis adhaeserint, radices agunt, illic Margaritam generant. Vivunt autem et nutriuntur per partem carni haerentem. Hujus autem conchae ori adnascitur animalculum chelas habens, et cibum assumens, quod cancro parvo simile est, et vocatur Pinnophylax. Rondeletius cum saepissime Cancros parvos in Conchis et Ostreis ovis turgentes viderit, ex Coitu maris et foeminae et ovis provenire affirmare audet. Ut ut sit, non possunt isti nisi in aliis procreari, ut nec vel viscum vel polypodium, nisi super aliis arboribus crescere.

Mores. Quae de eorum prudentia apud Plutarchum, Oppianum, et alios invenies, quod nempe pinnam regat, et de appropinquante praeda admoneat, fabulosa sunt. (*Plut. de solertia animal. Oppian. Hal. l. 2.*) Decem Pinnas aperies, antequam unum pinnophylacem invenias.

Victus. Aqua tantum et luto eaedem pascuntur, ut Mytuli. Latere in eis crede, ut vitam servent tutam, Molliore testa praediti, injuriis magis sunt obnoxii. Ideo et spongiarum cavernulis saxorum rimis, et in externis testarum quibus Ostrea tecta sunt cavis, saepissime Cancros parvos se reperisse, Rondeletius affirmat.

PVNCTVM II.

De Cancello.

TAB. VII. Nomen. Qui Latinis Cancellus, Graecis est καρκίνιον, Oppiano καρκινὰς. Plinius eum et Cancrum parvum sub Pinnotheris seu Pinnophylacis nomine confudisse videtur, ut Aldrovandus ostendit. Gallis Eremite, Bernard l'Eremita dicitur. Eremitam, quod alios fugiens in testa quasi in solitudine vivat. Bernardum autem, quod vulgo in Gallia Bernhardus fatuos proverbio dictitent: hunc autem fatuam, quod crusta tectus, chelas habens, quae ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos in quibus latitet, quaerat. *Aldrov. l. 2. c. 26.* Descriptio. Exactissime ab Aristotele describitur.

Communis fere est, ait Philosophus Crustatorum et Testatorum socius, quippe qui specie locustis simili spectatur, nascique seorsum per se solitus est. *Arist. H. A. l. 4. c. 4.* Verum quod testam deinde petit, quam ingressus est, hinc similis testa contectis animantibus est: quapropter is in ancipiti esse, genusque sibi vindicare utrumque videtur. Forma tamen, (quod simplicius dixerim) similis Araneis est, nisi quod partem capiti, et pectori subditam ampliorem quam Aranei habent. *Cornicula* duo rufa tenuia gerit, quibus *oculi* totidem subjacent, qui nunquam intro recedant, ut Cancrorum, sed semper eminentes appareant. *Os* sub iis est, quod veluti capillamentis pluribus circumdatur. Iis pedes subjuncti duo, bisurces, quibus cibum ori admovent. Bini item utrique adhaerent lateri, et tertius parvus. *Thoracis* pars inferior mollis tota est, dissectoque sinu pallidum intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit. Foramen excrementi perspici nullum potest. Pedes ac thorax duritiem prae se ferunt, sed minus quam Cancri. Nexu nullo testis adhaeret. Buccinarum ac Purpurarum modo solutus liberque vagatur. Omnes sinistrum pedem crassiorem dextro habent. Cum enim in testa circa medium corporis complicati vivant, quantum dextrae parti compressae alimenti ac proinde incrementi decedit, tantum sinistrae liberiori ac laxiori accrescit. Bellonius addit, *Oculos* instar Astaci elatos habere, quos porrigit ac contrahit, maculis albis distinctos. *Dentes* osseos. Ab ore *oesophagus* tenuis ut filum ad stomachum protenditur. *Intestina* bis tantum revolvuntur: ac qui in ejus stomacho viridis humor spectatur, is in intestinis apparet candidus.

Tres ipsorum *species* Aristoteles facit. Differentiae. *Oblongior est*, qui Turbinem scilicet ingreditur, quam qui Neritim. Qui in Natice degit, dextrum bisurculatum pedem parvum habet, cum laevum grandiusculum habeat, eoque potissimum ingrediatur. Ad tertiam spectare videtur, de quibus idem ita. Sunt inter Cochleas, quae inter se bestiolas habent Astacis parvis similes, quae in fluminibus gignuntur. Sed ea differentia, ut praemollem intra suam testam carunculam habeant, forma qualesnam sint ex dissectionibus contemplare. Nos hic ternas Icones damus.

Scaligero Squilla minima, Vasconibus Civada, dicitur. Pugillatim enim devoratur. Reperiuntur in pisciculis, pedes novissimos latiusculos habent, ut ad nandum utiles sint. In saxosis locis, coeno, et luto versantur. Ex eodem gigni credidit Aristoteles, *Arist. H. A.* sed perperam. *l. 5. c. 15.* Ad latera enim adhaerent tanquam racemi aut globuli ova filo annexa. Et observatum est mares a foeminis aperte distingui. Nati conchulas ingrediuntur; ubi excrevere in ampliores transeunt.

Usum et in Cibis habent. Usus. Dorion enim apud Athenaeum, inter hepsetos refert. Gesnerus, Coctum odorem, colorem et saporem fluviatilis habuisse scribit. Bellonius non esse edulem, sed Julidibus, Channis, Percis, et id genus saxatilibus gratissimum ait. Galenus eorum usu Mullos deteriores, et mali odoris evadere testatur: sed forte hoc de Cancellis, qui in spongiis, et qui τράγοι a foetido colore dicuntur, sumendum est. Et tantum de Crustaceis.

APPEN-

APPENDIX.

DE QVIBVSDAM CRVSTACEIS BRASILIENSIBVS CANCRIS INPRIMIS.

CAPVT I.

De Guaja Apara, cancro maximo.

TAB. IX. GVAIA APARA, cancer maximus, elegantissime variegatus. *Corporis* figura est Lunae bissectae similis, in latitudine habens tres digitos, in longitudine duos et semis (quanquam et majores reperiantur). *Testa*, ut dixi, lunata est, in utroque latere posterius exsecta, et in acumina desinens. Anterior pars testae ultra medietatem coloris est obscure brunni, et variegata maculis ex albo flavescentibus: posterior pars ex albo flavescit, striis brunnis secundum longitudinem ornata.

Pedes habet octo; singulos quatuor internodiis constantes, subrotundos, ex albo flavescentes: brachia duo, quodlibet duos et semis digitos longum, et sesquidigitum latum, quodlibet parva forcipe praeditum, quibus non ita arcte comprehendere potest, ut alii cancri. Est autem quodlibet brachium superius armatum et dentatum instar cristae galli, ita ut quando vivus brachia corpori applicatis ea componit, uti aptissime potest, cristas duas galli sibi invicem appositas esse appareat. Tenacula repraesentat rostrum galli, brachium itaque totum rostrum galli cum sua crista. Brachia autem etiam ex albo flavescunt, et maculis brunnis sunt variegata. In aquis natans per os aquam exsufflat, quasi ex fonte exsiliret.

GVAIA alia species. *Corpus* rotundum, paulo oblongum, juglandem cum suo viridi cortice aequat, octo habet *pedes* cancrinos: duo *brachia*, quodlibet fere duos et semis digitos longum, at exilia; in parte extrema corporis tres habet aculeos obtusos, et oculos plane exiles. *Color* totius corporis, brachiorum et pedum est albus; ac tota testa dorsi egregiis maculis brunnis ordinatim distincta, in summitate majoribus, at in lateribus, minoribus: *Brachia* parvulis maculis ex rufo purpureis sunt variegata: pedes albicant in totum, ut et venter.

GVAIA alia species, quae rarius capitur. *Corpus* ellypticae figurae, latum, tres digitos et totidem longum, aut paulo minus; testa tecta est ellyptica, in ambitu multis corniculis praedita, superius autem convallibus: *ocelli* parvuli, ut aliis: in quolibet latere pedes quatuor cum quatuor juncturis. *Crura* subhirsuta, et in extremitate unguem nigrum corniculi figura habentia. Anterius autem crus tres digitos longum, reliqua semper breviora unum altero. Brachiorum cum forcipibus, cujuslibet longitudo trium digitorum, crassities humani digiti, forcipe sesquidigitum longa et satis crassa. Ipsae extremitates forcipis paulo plus sesquidigitum longae, rostratae et exterius versus dentatae, quasi denticulis humanis, et ita apte sibi invicem quadrantes complicatae, quasi quis rostrum dentatum clauderet, in una tenacula forcipis, quae movetur seorsim, in medio etiam est dens albicans. Color totius cancri vivi saturate rubens, ut pruna nostratia majora esse solent, in medio corpore saturatior, reliquis partibus dilutior: extremitas tenicularum rufi cum brunno mixti, ut cerasa nigra tingere solent. Coctus retinet colorem.

CAPVT

CAPVT II.

De Guaja Miri, Carara Una, Cunuru, et Ciecie Ete.

Gvaia Miri, cancerculus in ſalſis fluviis degens, nunquam excedit pruni magnitudinem; *teſta* eſt ellyptica, anteriore parte in multos angulos deſinente: *Ocelli* parvi, breves: *brachia* duo, dextrum paulo minus ſiniſtro: *crura* octo, quatuor internodiis conſtantia, et brevibus pilis hirta: color teſtae ferrugineus: brachiorum et crurum obſcure violaceo-purpureus. Pili crurum pallidi, inferius forcipum latus albicat.

Carara Una Cancer parvus, cujus corpus quadratum refert, cujus ſinguli anguli tranſverſim abſciſſi, caeterum compreſſum, magnitudine ſemi-digiti. *Oculi* prominuli, haud longi, nigri, in angulis abſciſſis conſiſtentes. *Brachia* brevia, forcipibus obretundis craſſiuſculis: crura octo haud craſſa, ſed compreſſa. *Teſta* cum cruribus hepatici coloris, ſeu inſtar hepatis toſti: brachia itidem: forcipes brunni coloris, qualis ſuccus ceraſorum nigrorum: Crura minutulis pilis hinc inde veſtita, ejuſdem cum cruribus coloris.

Cvnvrv, foemella eſt *Uca* una, figura et colore conveniens, ſolum magnitudine corporis et brachiorum differt, minor enim eſt, quam mas, et brachia habet parva, brachio maris ſiniſtro vix aequalia, ſiniſtrumque paulo grandius dextro; raros quoque habet pilos, cum *Uca* una tota ſit hirſuta.

Ciecie Ete Braſilienſibus: *Crangverſinho des Manges* Luſitanis: *corpus* ad quadratam figuram accedit, et totum vix ſuperat majoris avellanae magnitudinem: *Oculi* prominentes longiuſculi quos recondere poteſt. *Crura* octo: brachium ſiniſtrum ipſi maximum, non tamen craſſum, forcipis tenacula tenuia et longa, aequalia, ſine dentibus: dextrum brachium tenuiſſimum. *Teſta* coloris hepatici: reliquum totum corpus cum cruribus obſcure flavum ex pallido.

Edulis eſt; et Braſiliani illo curant morbum, quem vocant *Mia.*

CAPVT III.

De Ciri Apoa, Uca Una, Guanhumi, et Aratu Pinima.

Ciri Apoa Braſilienſibus. Cancer marinus, *teſta* quaſi ellyptica tectus, quae in medietatis anterioris *ora* dentata, et in quolibet latere in acutum deſinit angulum, mediocris magnitudinis. *Brachia* habet duo mediocria, itidem dentata: ſex *crura* et ſeptimi et octavi loco poſterius duos remiges planos, quatuor internodiis, circum circa piloſos, quibus utitur natans. *Oculi* longe a ſe invicem diſtantes, parvuli, cylindracei, craſſiuſculi, non tamen longi et ad quemlibet cirrhulus eminet inſtar pili. Totius teſtae color fuſcus, ſeu nigricans, in qua diverſo fuſco cordis figura, aliaeque depictae. *Brachia* fuſca, forcipes ex caeruleſcente albent. *Crura* ad medietatem internam viridi et albo mixta: medietates exteriores caeruleae: remigum extrema pars, quae lata eſt, caerulea, reliqua viridis et albo mixta. *Corpus* interius etiam caeruleſcit. Boni ſunt ſaporis. *Ciri* ordinarie in fundo aquae ſalſae ambulant, interdum tamen ad littora prodeunt cum decremento maris, ſed rarius. Capiuntur maris refluxu.

Uca Una Cancer in paluſtribus degens, *corpus* ejus ellypticum, ſuperius convexum, juglandis cum ſuo cortice magnitudinem aequans

vel etiam ſuperans. *Crura* habet octo, quatuor juncturis: anteriora longiora, poſteriora breviora: *Oculos* haud longe diſtantes, cylindraceos, haud longos, quos erigit et recondit, coloris pallide flaveſcentis, pupilla hyalina. *Brachium* dextrum ipſi maximum, interius multis tuberculis acuminatis praeditum, ut et forceps: ſiniſtrum parvum. Color *teſtae* ſuperius olivaceus, flavo in extremitate intermixto. *Corpus* interius pallide flaveſcit. Omnia crura et brachia caſtanei ſunt coloris, forcipes etiam ſuperius, caetera pallide flaveſcentia una cum tenaculis. Crura omnia inferius veſtita ſunt copioſis pilis longiuſculis obſcure caſtanei coloris. Carne ſunt bona.

GVANHVMI, Cancer terreſtris: corpus illi rotundum, ſed paulum compreſſum, magnitudine Auriaci mali.

Pedes habet octo, quinque digitos longos, quatuor internodiis: *crura* longis pilis veſtita: os magnum et ad latera oris utrimque latitudine unius digiti hirſutum, ut et corpus: *Brachia* duo, dextrum magnum, ſiniſtrum parvum, magnum longum octo digitos, latum plus duobus; parvum vix quartam partem illius aequat.

Oculi bini, quos inſtar parvae pilae erigit, et iterum in longa cavitate abſcondit: circa os quaſi duo brachiola, quae recondere poteſt, et iterum depromere, et uſque ad oculos deducere.

Celerrime currit, et quidem tranſverſim, ita ut oculos ad latus convertat et brachium majus elevatum geſtet. Maximo numero in ſilvis paludoſis oberrant. Carnem habet bonam.

ARATV et ARATV PINIMA. Cancer terreſtris, quadratae figurae, *corpore* haud magno, *teſta* multiplici colore picta, brunno, caeruleo, albo, rubro punctatim varie intermixtis.

Oculi prominentes longe diſtantes, nigri, in angulis roſtri poſiti.

Crura octo, quatuor internodiis, compreſſa, rufa, ac per totum maculis purpureis, nigris ac albis diſtincta. *Chelae* duae non ita magnae, aequales, rufae, in extremitate ex albo flaveſcentes. In ventre etiam flaveſcit. Crura raris pilis nigris veſtiuntur.

CAPVT IV.

De Maracoani, Potiquiquiya, et Tamaru Guacu.

MARACOANI, cancer parvus, in locis ambulans, quae refluxu maris ſicca evadunt, alio enim tempore e latibulo ſuo non prodit: *corpore* eſt fere quadrato, digitum longo et lato, anterius tamen paulo latiori: *Oculi* prope ſibi invicem appoſiti, longi plus ſemidigito, tenues inſtar aciculae craſſioris, quos erigere et apte in rima recondere poteſt.

Os habet amplum et majus quam caeteri cancri: *crura* octo, quatuor internodiis. Brachium dextrum illi maximum, tres digitos longitudine ſuperans, ſatis craſſum, et ſe totum poſt illud poteſt abſcondere: forceps autem brachii latior, haud craſſus, referens forcipem ſartorum, extuberantiis haud acutis loco dentium praeditus; ſuperficies brachii etiam parva tubercula habet: *brachium* ſiniſtrum minimum, minus uno e pedibus, forcipula minima inſtar ſcorpionis.

Crura raros habent pilos fuſcos. Coloris eſt in teſta fulvi, ut et in pedibus et minore forcipe, atque in inferiori corpore: extremitate pedum magis rufeſcunt. Brachium dextrum e fulvo obſcure rufeſcit. Eſt edulis.

POTIQVIQVIYA Braſilienſibus. Locuſta marina, Belgis Zeekreeft. Longitudo *corporis* a fronte ad exortum

ortum caudae ſeptem digitorum, *caudae* ſex: latitudo *teſtae* dorſi ſeptem, *ventris* duorum et ſemis: totius corporis ambitus novem digitorum et ſemis; *caudae* ambitus quinque, quae conſtat ſex tabellis, ſeptem juncturis ſibi invicem appoſitis: et habet cauda ad quodlibet latus inferius quatuor pinnas, ſeſquidigitum longas, unam latas: extremitates laterales cujusque tabellae deſinunt in cornu acutum: in quolibet latere quinque habet crura, quinque internodiis diſtantia; primum par crurum ſex digitos longum, alterum novem, tertium pedem, quartum ſeptem digitos, quintum quinque: Quodlibet autem unguem habet incurvum, acutum, pilis multis flaveſcentibus hirtum, inſtar penicilli pictorum: crus anterius craſſitie digitum aequat, reliqua graciliora.

Teſta corporis varie tuberculata, frequentibus eminentiis inſtar corniculorum rectorum, acutorum, anterius ſcatet.

Oculi prominentes cylindracei, et poſt eos duo cornua ſurrecta antrorſum inclinata, digitum longa; ante oculos ſupra os quatuor cirrhi exortum ſumunt, primo duo magni pollicis humani craſſitie in exortu, ubi quatuor internodiis conſtat, longi ſeſquipedem et undique ſpinoſi, inter hos duo minores, quatuor internodiis, teretes ſine ſpinis, ac ultra medietatem biſecti, decem in totum digitos ſinguli longi.

TAMARV GVACV, Braſilienſibus: *Camaron de Salgado* Luſitanis. Locuſtae marinae ſpecies, novem digitos longa, vel paulo plus. *Capitis* longitudo duorum digitorum; verſus caput magis magisque anguſtatur.

Corpus autem habet undecim quaſi juncturas, quemadmodum cauda in Gamaris: in poſtica parte corporis ad quodlibet latus duos habet proceſſus ſubhirſutos.

Totum corpus tectum eſt cruſta cancrina, albicante, ſplendente inſtar cornu politi, ad juncturas autem ſubnigricat aut purpuraſcit; pedes in quolibet latere tres, nimirum ad tertiam, quartam et quintam juncturam a collo numerando; exilia, duos circiter digitos longa.

Caput triangulare, olivae magnitudine ſub teſta albicante ſplendida latet, duos digitos longa. Pone caput ad quodlibet latus habet brachium unum, ſeptem digitos longum, quatuor juncturis conſtans, eſtque extrema pars brachii ab ultima junctura incurvata inſtar falcis majoris, et novem dentibus acutiſſimis praedita: his brachiis ferit, et qui vulnerati ſunt, aegre ſanantur.

Oculos habet prominentes, oblongos: barbam cancerinam octuplam: prope oculos duas prominentias retrorſum verſas, digitum longas, laeves, at in extremitatibus hirſutas: infra caput adhuc octo prominentias, duos digitos longas, quae in extremo tubercula gerunt. Verſus poſticam corporis partem inferius multas latas quaſi pinnas habet, quae natationi haud dubio inſerviunt, et quaſi folia complicata ventri inferius adjacent. Non comeditur.

CAPVT V.

De Paranacare et Guari curu.

PARANACARE: *Gammarus* in concha degens, haud edulis, tres digitos longus: brachia habet duo cum forcipibus, crura quatuor longiſſima, nimirum tres digitos longa, et poſt haec quatuor plane brevia; caudam ſeſquidigitum longam inſtar aliorum Gammarorum; oculos longos et prominulos: duos cirrhos pro barba.

Corpus tegitur testa obscure castanei coloris; ejusdem coloris est et cauda, nigris striis secundum longitudinem variegata, corpus inferius et exortus crurum et brachiorum interius caerulescunt, uti et oculi et barba; per totum corpus habet pilos ochrae coloris.

Concha quam inhabitat ferme quatuor digitos longa, turbinata coloris pallide subflavescentis.

Variae autem magnitudinis reperiuntur, plane parvulae, magnitudine minoris pruni, turbinatae et variis tuberculis acuminatis praeditae, pallidae, rufescentes, nigrae, ad littus prope fluvium Paraiba.

GVARICVRV Brasiliensibus, *Gammarus* vulgo *Camaraon;* quatuor digitos longus: crura habet sex, tribus internodiis constantia, cum unguiculo in extremitate: anterius par crurum quasi suras habet, crassius reliquis et vicem brachiorum fungens; paulo plus duobus digitis longum, ultimum paulo plus uno, omnia aculeata seu spinosa.

Cirrhos prope os prodeuntes habet sex; duos longissimos, nimirum tres digitos singulos, versus posteriora reflexos; duos unum digitum, et duos semidigitum: sub ore parva tenacula quatuor crassiuscula, et quatuor tenuiora, quibus cibum tenet. Oculi similes reliquis. Color totius fuscus. Cocti eduntur.

HISTORIAE NATVRALIS
DE EXANGVIBVS AQVATICIS
LIBER III.
DE TESTACEIS.

TITVLVS I.
De Testaceis in genere.

Horat. l. 2. saty. Nomen. Testacea quae vulgo dicuntur, ea alii Testata, Horatius testas, Cicero, belluas nativis testis adhaerentes, Palladius clausa maris animalia, Albertus testudines, plurimi Conchas, et Conchilia dixere. Graeci ὀστρακόδερμα, ac si dicas testaceae cutis animalia, ὄστρεα, quod apud Philosophum invenies, ὄστρεια, ut Athenaeus testatur, ὀστρακήρα, ὀστρακώδη καὶ κογχοειδῆ, quod Strabo scribit, σκληρόδερμα, λιθόῤῥινα, quod Empedocli tribuitur, ὀστρακόρινα, ὄστρακα, ὀστρακοδέρμους ἰχθύας, seu testaceos pisces, quod apud Suidam, ut illud apud Oppianum legimus, λιχάδας Hesychius et Varinus, κυματοφορτίδας idem, appellavere. *Arist. H. A. l. 1. c. 6.*

Partes corporis si spectemus, omnibus testa intus laevis aequalisque habetur, Caro item quam Graece spondylum, latine callum dici Hermolaus author est, quam Lunae incremento augeri prodidere quidam. Terrenum illud, quod continet et conservat foris est, hoc calorem leviculum, quia sanguine carent, tanquam furnulus fovet et conservat, et testa dicitur. Non mutant eam, tum quod non moveantur, tum quod non fictentur. *Oculos* habere negat Aristoteles. Plinius movere etiam, scribit. *Dentes* ipsis primores, et *carnosum* illud, quod proportionatur ad sentiendum cibum, *caput* omnibus infra, plantarum modo. *Stomachus* ori continuo jungitur, isque pro- Descriptio. *Arist. H. A. l. 1. c. 9. Plin. Epist. 136.*

proportione magnitudinis exiguus. Hunc excipit *venter*, in quo quod *papaver* dicimus, (μήκων) situm. Mox intestinum continuum tendit simplex, originem a papavere illo ducens. Excrementum illud, quod papaver dicimus, continent turbinata omnia sua clavicula, univalvia fundo, bivalvia qua nodo ligantur. Laborant omnia per frigus, et aestum atque exuperantiam temporis pati nequeunt. *Nutriuntur* more plantarum per poros, et quidem humore dulci, si Aristoteli credimus. Ideo eis anni pluvii prosunt, Purpuras si excipias. Moventur omnia parte dextra, non ad vertiginem sive claviculam, sed in adversum.

Victus. *Arist. H. A. l. 8. c. 2. Arist. H. A. l. 8. c. 20.*

Differentiae.

Differentias quod spectat, mira in ipsis naturae ludentis varietas. Tot colorum differentiae, tot figurae, planis et concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe caesis, in dorsum elatis, laevibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, jam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim, undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, praedensata, porrecta, sinuata, brevi modo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis; ad buccinum incurvis. Rondeletius eas brevissime complexus est. Alia ab aliis testae duritia superantur, ut pulmones, Holothuria, Echini, longe minus dura testa conteguntur, quam Purpurae et Buccina. Alia undique circumteguntur, ut nihil interioris corporis tegi possit, ut Ostrea, Tellinae, Pectines. Alia altera tantum parte testam habent, alteri parti testae loco est scopuli pars, cui haeret. Chamae et Dactyli sive Solenes utrisque extremis non integuntur, per quae caput et posteriorem partem exerunt. Eorum alia quae undique integuntur: alia turbinata sunt, ut Purpura, Buccinum, alia turbinata non sunt, ut conchae, quae a Gallis Porcellainos vocantur. Alia unica concha constant, ut Lepades. Alia duabus, ut Mytuli. Testarum aliae laeves, ut Unguium, Mytulorum. Aliae asperae, ut Purpurarum, Buccinorum, Ostreorum, quarum rursus testarum, permagna est in asperitate varietas, quae in singulis declarabitur, etc. Nos ea brevissime in Turbinata, Turbines, Bivalvia et Univalvia distinguimus. *Locus* ipsis mare, quod ita amant, ut apud Aegyptios maris symbola conchylia haberentur. In mari rubro mira quadam magnitudine augentur. Bibacta iisdem referta est, ut et maris Aegei et Laconici littora. In montibus et remotis procul a mari locis reperiri, nullum dubium. Causas alibi inquiremus. Ad *Temperiem* spectat, quod plurima eorum algore et aestu lateant. Limaces hyeme, Purpurae et Buccinae canis exortu tricenos circiter dies conduntur. Aestate tamen potius plures vigent, Pirensem Euripum si exceperis, in quo non minus hyeme probantur, quod tum, piscibus alio migrantibus pabulentur uberius.

Plin. H. N. l. 9. c. 33.

Plin. H. N. l. 5. c. 21.

Arist. H. A. l. 8. c. 13.

Generatio.

De ipsorum *Generatione* accuratissime Aristoteles in libris generationum egit, eoque res redit, ut omne genus testatum sponte oriri pronuntiet. Apertum, inquit, id hinc est, quod navigiis putrescentibus, faece spumosa adnascuntur, et locis multis ubi nihil tale aderat ante, post per inopiam humoris facto coeno, Ostreae prodiere: ut apud Rhodum insulam, cum classis applicuisset, et fictilia projecta essent in mare, tempore post coeno obducto testis, Ostreae in eis reperiebantur. Nihil autem partis genitalis emitti ab iis, argumentum est, quod cum Chii quidem ex Pyrrha Lesbi insulae Ostreas vivas portassent, et in loca quaedam maris reciproci aestus, et luto similia dimisissent, plures nihilo fuere temporis spatio, quamquam incremento corporis plurimum profecerunt. Quae autem ova vocantur, nihil ad generationem conferunt, sed indicium sunt nutricationis melioris, quale in sanguineis pingue est: quamobrem sapore per id tempus praestant, ciboque laudantur. Quae de Conchis Aelianus scribit, in speciali historia adferemus.

Arist. Gen. A. l. 3. c. 11. Arist. H. A. l. 5. c. 14. Scalig.

Sensus. *Sensus* eis Plinius adimit, tribuit Aristoteles. Purpuris escas putidas Purpurarii emoliuntur, acceduntque odore sine dubio illectae ad ipsas. Ungues ad strepitum se subtrahunt, inferiusque subsidere cernuntur, quoties ferramentum sentiunt admoveri. Exiguo namque extant, reliquo autem toto corpore perinde ac in cubili occiduntur. Natices qui capiunt non adverso, sed secundo flato adeunt, quoties escam persequuntur, nec voce ulla sed silentio agunt.

Antipathia. *Antipathiam* cum tonitru habere creduntur, et adhaerescentis tempestatis signa sunt.

Usus. Adeo olim *in Cibis* adhibebantur, ut inde confirmatum sit adagium, conchylia viduarum cupedias, et Plinius, luxuriae matrem Conchyliorum, pretia margaritis propemodum aequasse, queritur. Commune omnibus salsum quendam in sua carne succum habere, quo alvum ciere nata sunt: quod si probe assentur, maxime tum salsa evadunt, ut quae succum jam habeant ab igne veluti succensum; et prope dixerim, absumptum. Mollitie tamen et duritie operationis variatur eventus. Venerem invitare certum, unde eam Concha Cyprum vectam quidam, alii e concha natam voluerunt. In *Medicina* quoque locum invenisse in specialibus dicemus.

TITVLVS II.

De Testaceis in specie, et primo de Turbinatis in genere.

SVPERIORE titulo Testaceorum omne genus, in Turbinata, Turbines, conchylia bivalvia seu δίθυρα, et μονόθυρα seu univalvia distinximus: Turbinata vel *in genere*, vel *in specie* considerantur. *In genere dicta Turbinata* sunt illa, quaecumque in volutas et anfractus seu spiras, quales in praelis et torcularibus visuntur, Testas suas quoquo modo reflectunt. Graeci στρομβώδη vocant, Gesnerus ἑλικοειδῆ quoque dici posse putat, quod ἕλικας vocent, quas diximus, volutas. At Rondeletio στρόμβος in genere pro omnibus Turbinatis sumitur. Turbo autem est id, quod ex amplo et lato paulatim in mucronem desinit, cujus figurae est et Turbo lusorius. Proprium illis est testam habere continuam totam et unicam, si externa spectemus. Si interna considerentur, quodammodo similem naturam nacta sunt omnia, magnitudine autem distant et aliis affectibus, qui excessu comparantur. Quaedam enim, quae majora sunt, suas quoque partes conspectiores habent: minora autem minus: sic etiam duriora et molliora, et ejusmodi alia alii. Nam quae caro summa a testae ostro exorta est, eam quaedam firmiorem quaedam solutiorem habent. Ex ejus medio *caput* est et cornicula bina; in majoribus proceriora, in minoribus minima. Eximendi capitis eadem omnium ratio, et perterrefactis contrahendi. Habent quaedam *os* et *dentes*, minutos, tenues. Quaedam etiam muscarum more habent *proboscidem*, linguae specie. Haec dura est buccinis et purpuris. Nam quemadmodum Tabani et asilus tergora quadrupedum pertundunt: ita his tanta est duritia, ut escarum testas perforent. Subest ori statim *venter* similis avium ingluviei, qualis est etiam umbilicis. Infra duo candida quaedam, firma, specie *mammillari*, qualia in sepiis inveniuntur: sed haec solidiora. A ventre *gula* duplex longa ac papaver usque quod in fundo est. Quae omnia perspici possunt, in sinu vorticoso testarum. Quod gulae jungitur *intestinum* est, a qua, continuo tractu fertur totum simplex usque ad exitum, incipi eas a vorticoso sinu, quo *papaver* continetur, atque inde laxiorum. Est autem papaveris magna pars quasi excrementum in omnibus ostraceis. Inde intestinum reciprocans rursum ascendit ad carnosas partes, atque circiter

Arist. H. A. l. 4. c. 4.

caput

caput terminatur, qua emittitur excrementum omnibus turbinatis tam terrenis quam marinis. Hucusque Aristoteles. *Crescere* ut vermes, scilicet anfractibus, qui subinde accrescentes plures efficiuntur in partem priorem, quod caput vocatur, experientia docuit. *Serpunt* parte dextra non ad claviculas, sed in adversum. De *Congressu* in speciebus dicetur.

TITVLVS III.
De Turbinatis in specie.

CAPVT I.
De Turbinatis in anfractum tortis.

ARTICVLVS I.
De Nautilo.

TAB. X. *Aldrov. l. 3. c. 3.* DVVM sunt Turbinata apud Aristotelem generum, vel enim ἑλικὴν habent, vel sunt Σφαιροειδῆ seu in globum circumacta. *Arist. H. A. l. 4. c. 1.* Ex illis sunt *Nautilus*, *Purpura*, *Buccinum*, et *Conchylium*.

Differentiae. *Nautilus*, quem Suidas ναυτὴν, alii ναυτικὸν et ὤον πολυπόδος vocant, vulgo ναύτιλος dicitur, et cum *Nauplio Athenaei* idem esse videtur. A modernis Graecis θαλάμην τεκταποδὶε vocari Robertus Constantinus author est.

Arist. H. A. l. 4. c. 2. *Duo* ipsius apud Aristotelem habemus *genera*. *Unum* est, cujus testa pectunculo similis est, cava, neque ei connexa natura. Is prope terram pascitur saepe numero: quare a fluctibus ejicitur in aridam, ubi delapsus de concha, aut capitur aut in humo perit. Hoc genus pusillum est et simile bolitaenis: quae Polypi species est. *Alterum* in testa tanquam limax est. Is ex ea nunquam exit: *Plin. H. N. l. 9. c. 29.* sed interdum brachia exerit. Illud respicit Plinius cum dicit: Inter praecipua miracula qui vocatur Nautilus, ab aliis, Pompilos (potius polypodis ovum) Scipinus (verius pronus) in summa aequorum, pervenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, velut exoneratus sentina, facile naviget. Postea prima duo brachia retorquens (potius attollens ex Athenaeo) membranam inter illa mirae tenuitatis extendit. Qua velificante in aura caeteris subremigans brachiis, media cauda, ut gubernaculo se regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludens imagine, et si quid pavoris interveniat, hausta se mergens aqua. Eundem exactissime Bellonius *descripsit.* Concha, inquit, tribus fragmentis constare videtur (carina scilicet et lateribus, cum tamen una et simplex sit) quarum latera utrinque ceu carinae junctae apparent, ea ut plurimum magnitudine, quam ambae manus amplecti possent: latitudine autem quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt crassitudinem membranae pergamenae, striisque in oblongum ductis, ad oras crenis laciniatae sunt, in formam rotundam abeuntes: foramen autem, per quod Nautilus alitur, atque exit de *Concha*, magnum est. Fragilis haec lactei coloris, lucida, admodum polita, omnino navis rotundae effigiem referens. Navigat enim per maris summa, elatus de imo gurgite offertque se testa inversa, ut facilius ascendere posset, et inani scapha enaviget, atque ubi inde emerserit, tum concham invertit. Caeterum Nautili brachiis interjacet membranula, qualis est inter palmipedum digitos, sed haec magis est tenuis, in telae araneae modum, robusta tamen, qua etiam aura inspirante velificat. *Cirris* quos utrinque multos habet, pro gubernaculis utitur, atque ubi metuit, tum concham protinus marino humore oppletam demergit.

Alterum

Alterum Nautilum, Cochleam margaritiferam Bellonius vocat; et videtur eam Fauconerius describere, cum in Epistola ad Gesnerum ait, suum Nautilum, testam habere interna parte ita nitentem, ut cum unionibus pretiosissimis de coloris amoenitate certare posset, Bellonius enim suae illius cochleae concham, in magno apud artifices Gallos, ad vasa ditioribus abacis accommoda conficienda, pretio esse, et *Porcellanam* ob id vocari scribit. Fauconerius multa in sui Nautili testae carina tabulata, eodem amoeno colore nitentia, fuisse prodit. Hinc facile colligas eundem cum eo esse, quem a Graecis θαλάμην τεκταποδίε, id est, polythalamum dici scripsimus. Plinius cum de Nautilo paulo ante dixisset, mox tanquam de altera ejus specie. Navigeram similitudinem, inquit, et aliam in Propontide visum sibi prodidit Mutianus. Concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hanc condi Nauplium animal Sepiae simile, ludendi societate sola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim, vectorem demissis palmulis ferire ut remis; si vero flatus invitent, eosdem in usu gubernaculi, pandique concharum sinus aurae. Hujus voluptatem esse, ut ferat, illius, ut regat: simulque eam descendere in duo sensu carentia: nisi forte tristi (id enim constat) omine navigantium humana calamitas in causa est. Cardanus quoque cujusdam cochleae meminit, quam India mittit. Est, inquit, forma triremis cum alta puppi, in qua vasculum aliud, diceres poculum a natura excogitatum. Nam et magnitudo tanta ejus quam vidi, ut cotylam capiat. Res profecto usus elegantissimi et pulcherrimae formae.

Plin. H. N. l. 9. c. 30.

ARTICVLVS II.

De Purpura.

Tab. X. 5. 6. etc.

Nomen.

Purpura Graecis πορφύρα, Plinio aliquando Pelagium, Politiano concha Herculea, quod tincturae Hercules author credatur; Serapioni Pulpia, Brasavolo Antale dicitur. Qui cum Conchylio confundunt, a Plinio refutantur. Distinguit enim iste, et expresse apud eum legimus. Conchylia et purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria paene etiam margaritis fecit. Nec minus illi, qui Conchylium idem cum Buccino ponunt, quod, cum Plinius duo tantum genera Turbinatorum continentium florem illum tingendis vestibus adeo expetitum poluerit, alterum Purpuram, alterum Buccinum esse, necesse videatur. Eodem enim libro haec verba extant: In Conchyliata veste caetera sine Buccino, praeterque jus temperaturae aqua pro inviso potus humani excremento. Concham ex Turbinatorum genere esse Aristoteles prodidit, et aliquot ipsarum genera agnovit, ut circa finem dicemus.

Plin. H. N. l. 9. c. 35.

Plin. H. N. l. 9. c. 36. et 39.

Descriptionem si spectes, saepe ovi est magnitudine, aliquando major, nisi elevata et aculeis munita esset, et canalem ad latus, qua linguam exerit, haberet. Rugata eadem, aspera, cinerea, aliquando flavescens, aliquando ex viridi cinerea, intus luteo colore. Rostro est longo tubuli modo excavato: Cornua Limacum more attollit, atque eodem modo serpit, iisdem cornibus iter sibi praetendit. Linguam ex tubulo illo canaliculato in latere procurrentem habet, quae callosae huic parti adhaerescit, cui caro ipsi testae adjungitur. Est autem ea *caro*, musculus quidem fortis ac candidus, mediae testae alligatus, quo Purpura tanquam congenito quodam operculo, carni patulae opposito; diutissime extra aquam vivit. Marinam enim aquam haustam asservat, qua pluribus diebus refovetur ac sustentatur. *Caput* illi cartilagineum ac durum.

Plin. H. N. l. 9. c. 36.

Descriptio.

durum. *Os* in ea parte, qua ſcopulis haeret, rotundo foramine pervium, quo lapides arrodit, et in ſtomachum exugens demittit. *Hepar* quoque habet viſcidum, tenaci quodam lentore praeditum, ut paene viſcum eſſe appareat. Sed hoc quod de hepate, branchiis, et corde, Bellonius ſcripſit, pro fabuloſis cenſet Rondeletius.

Et haec quidem recentiorum Deſcriptio eſt. Ut vero et veteres videamus, Clavatam Plinius facit Purpuram ad Turbinem uſque, aculeis in in orbem ſeptenis fere, qui non ſunt buccino. Teſtam intortam curriculatim in crepidinem deſinere, apud Ariſtotelem extat. *Partes* illae, quae Dioſcoridi ſecundum Hermolaum κιόνια, aliis ἰόνια, quod violam ſignificat, partes ſunt interni Purpurae corporis mediae, fibratae, toroſae, et firmae, circa quas teſtae volumina capreolorum ritu circumvolvi incipiunt ſecundum Dioſcoridem: vel quibus haeret vena illa vel membrana illum florem Purpurarum continens, inter *papaver* nempe quod turbinata omnia ſua clavicula continent, quod eſt inferiore loco, et cerviculam ſeu collum ſuperiore loco.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 15.

De eo *flore* ſeu ſucco ita breviter Ariſtoteles. Inter papaver et collum florem continent, textura denſa, colore candidae membranae, qua ablata et compreſſa manus flore tingitur. Hoc ipſe flos videtur eſſe: reliqua concretio, quaſi alumini. Id Plinius florem in mediis faucibus habere dixit, liquoris eum eſſe minimi in candida vena, unde pretioſus ille bibitur, nigrantis roſae colore ſublucens, reliquum corpus ſterile. Rondeletius partem ſuccum continentem, cordi proportione reſpondere exiſtimat, florem, ſanguinis loco eſſe. *Caro* earum penitus includitur, nec ulla ex parte, excepto capite conſpicitur, ut apud Ariſtotelem habemus: Teſtae ſuae adhaeret. *Linguam* duram habere eaque teſtas eſcarum perforare, non tantum ab Ariſtotele, ſed et Plinio, qui longitudine digitali facit, et Aeliano proditur: Rondeletius promuſcidibus muſcarum, quae inter cornua comparat, et firmam, toroſam, quaeque exeri poſſit, concedit: ſed tam duram eſſe, ut teſtas perforet negat, roſtro id fieri veriſimilius addens. Qui κροκύδα, ſeu κροκίδα τῆς πορφύρας apud Galenum, pro tomento purpurarum, quo depexo et contuſo in medicamentis veteres uterentur, ſumunt, vehementer falluntur. Lanae enim purpura tinctae craſſior et minus curata pars eſt, cujus et Dioſcorides meminit. *Operculum* varia apud authores ſortitum eſt nomina. Plinius purpurarum cavum dixit, Ariſtoteles κάλυμμα, ἐπικάλυμμα, Galenus πῶμα vocavit. Alii βλάττον βυζάντιον, vel βύζαντος, a Byzanto vel Byzantio Africae nominant, et longe verius quam illi, qui id nomen ori narium purpurae adſcribunt, quas non habet, vel qui blattas Byzantias buccinorum et Conchiliorum permiſta opercula appellant. Galenus Indici conchilii teſtam inter oſtraca et teſtas purpurarum et muricum generatim comprehendit. Nec negandum forte eſt, Conchylii, buccinae et purpurae opercula, nec ſubſtantia, nec viribus differre, niſi forte unguis odoratus differentiam ſupponat. Nam blatta Byzantia dum uritur ingrati eſt odoris, et caſtoreum redolet: unguis vero ſuavem odorem ſpirat. Poteſt tamen et id, quod εὐῶδες Graecis dicitur, gravis apud Latinos odoris eſſe, et in quibuſdam locis ungues odoratos, foetidos in aliis reperiri. Ut ut ſit, Carni haeret operculum purpurarum, ut unguis noſter. Ex filis ſeu fibris coagmentatur, et quia pinguedinis aliquid in ſe habet, fumum cornu modo accenſum emittit. Et haec quidem de partibus ſufficiant.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 15.

Plin. H. N. l. 9. c. 36. Aelian. H. A. l. 7. c. 34.

Galen. l. 3. de Medic. ſecund. loc.

Flori, qui et ſuccus Plinio, τὸ ἄνθος τῶν πορφύρων Graecis, varia indita ſunt nomina. Vitruvius oſtrum dixit ἀπὸ τῦ ὀςράκυ, cui Virgilius Sarrani epitheton, a Sar urbe Phoeniciae, quae poſtea Tyrus, unde purpureus color et Sarranus et Tyrius, ſecundum Maſſarium addidit. Nec tamen omnis Purpura oſtrum, ut tradit Gellius, quamvis omne oſtrum purpura ſit, quod exuberantiam ſplendoremque ruboris habet, hoc eſt, illuſtratur ſplendore,

Flos Purpurae.

Vitru. l. 7.

quo alia purpura caret, *Saniem* etiam praeter Plinium idem Vitruvius vocavit, Pollux λάθρον, Fucus, pelagium, venenum Tyrium, purpurissum, κάλχα ejusdem sunt apud alios nomina. *Tria* vero hujus floris, à varietate coloris sumpta, posuere *genera*, πορφυρίδα, coloris violacei, saturati, et subnigricantis, quo colore πορφύρεον κῦμα Homerus dixit: qualis erat amethystina et quae e Pelagiis purpuris et buccinis fieri solebat. Φοινικίδα punicorum rubentem colore cocci, qualis fuit Tyria vel Tarentina. Ἀλουργίδα denique colore glauco, irato mari simili, austero, diluto, qualis fuit conchyliata, Tyria omnium celeberma, quae et ostrum dicebatur, quo obscurior et nigricantior eo carior. Sed et a loco aliqua est differentia. Testatur enim Vitruvius, ostrum quod legitur in Ponto et Gallia; quod hae regiones sint proximae ad septentrionem, esse atrum. Progredientibus inter septentrionem et occidentem, lividum, quod legitur ad aequinoctialem, orientem, et occidentem, violaceo colore inveniri: quod vero meridianis regionibus excipitur, rubrum esse. Inventum fuisse a Phoenice regnante à Tyrio Philosopho Hercule produnt. Cum enim in eam, referente Cedreno, Tyri partem adscendisset, quae ad mare pertinet, pastoris canem concham vorantem, et pastorem lana sanguinem prout ille putabat a canis ore abstergentem vidit. Tinctura delectatus, lanam istam ad Regem detulit, qui lanam ita tingi, et sibi vestem parari curavit.

Locus. Quantum ad Purpurarum *locum* in pelago et littoribus, ut in Differentiis dicemus, degunt, nec ulla magis idonea ipsis regio quam limosa. Si amnis in mare effluentis aquam degustarint, eodem die moriuntur. Dies tamen circiter quinquaginta extra aquas captae vivunt, saepe in arena latent, et canis exortu circiter tricenos dies conduntur. Sunt tamen peculiaria loca, quae a Purpuris celebrantur. Virgilius et Petronius Assyriae meminere, Plinius Meningis Africae insulae, non longe a Syrtibus sitae, quam Lotaphagorum terram putant, et Getulici littoris: Laconica Pausaniae, Horatio et Valerio Flacco celebris est. Unde huic fucus Tenarius; Arriano, Muxa emporium ad mare rubrum. Teniensem purpuram apud Plinium lego, forte quod in taeniis seu cautibus in mari candicantibus, et fasciae instar pratensis, degit. Dialutensem seu forte Dialucensem alibi quasi διὰ et ἄλυπον, quod per salsum aequor rapit: Porphyrusa Aristoteli a frequentia Purpurarum dicta est. Fit et Melibaeae apud Festum mentio. Celeberrima denique omnium est Tyria, ut Plinius de suo tempore scripserit: Tyri nobilitas nunc omnis Conchylio atque Purpura.

Victitant pisciculis teste Aristotele: sed nec algam nec muscum rejiciunt. Ita ista in suas testas recipiunt, ut iis in orbem exertis, quasi circularem convivationem praebeant, una alterius alimentum depascente. Plinius pabulo et solo purpurarum genera discernit, ut sit lutense, quod putri limo; algense, quod alga; dialutense, quod vario soli genere, pascitur. Istud esse vilissimum. Victus. *Arist. H. A. l. 8. c. 2.*

Ortum apud Aristotelem invenio duplicem. Vel enim ex limo existunt, vel ex salivario lentore, ut Plinius prodidit, quem emittunt, de quo ita Aristoteles. Purpurae verno tempore eundem in locum congregatae faciunt id, quod vocant favaginem. Est enim favi specie, sed minus expolita. Quemadmodum si e folliculis alborum cicerum multis quiddam compactis. Nullus his patet aditus, neque inde fiunt purpurae, sed tum illae tum testacea alia ex putredine atque limo proveniunt. Sed id est quasi purgamentum et ipsis et buccinis. Etenim hae quoque favificant. Generantur vero haec quoque favificantia, quemadmodum caetera testacea. Caeterum etiam facilius, si qua subsint principia referentia genus suum. Cum enim incipiunt favificare, emittunt lentorem quendam mucosum, ex quo folliculi concrescunt illi. His igitur omnibus solutis, effluit in terram id, quod continebant. Atque eo in loco purpurillae minutae Generatio. *Arist. H. A. l. 5. c. 14. edit. Scalig.*

minutae oriuntur atque concrescunt, quae haerentes purpuris capiuntur, aliquot etiam inchoatae tantum. Quod si ante partus tempus capiantur, in ipsis storeis non temere pariunt, sed in eundem locum conventu facto quemadmodum etiam in mari: Unde per cratium angustias quasi racemi prodeunt. Celerrime inter testacea

Aetas. *crescunt.* Sex annos vivunt, et singulis annis incrementum earum per orbes patet, quibus totidem quot annos habent, testa claviculatim intorta in crepidinem desinit. Parum *progrediuntur*, et ad escas a longo accedunt, quod odoratu valeant. *Tincturae* ratio alio spectat. *Usum in Cibis* prae-

Usus in Cibis. stant, et hoc cum ostracodermis commune habent, quod salsum succum contineant, eodemque alvum subducant, carne autem sint dura. Athenaeus ex Hicesio papaver copiosius alere scripsit, magis tamen Scillam sapere. Colla aegre confici et difficulter secedere excrementum facile, partes extremas aptissimas esse, et seu elixas seu assas humori ori gratum et stomacho accommodum emittere, Xenocrates prodidit. Peculiare est eis, quod coctae juscula spissent. Nec a

Usus in Medicina. Plin. H. N. l. 32. c. 6. Plin. H. N. l. 32. c. 10. *Medicina* excluduntur. Contra venena prodesse, docuit Plinius, contra Dorycnion Nicander. Saliva recentia vulnera agglutinantur. Callus, quo se operiunt, tusus glutinat nervos praecisos. Testae cinis pustulas verendorum e melle discutit, ad dentifricia cum rosis et caryophyllis usurpatur. Cum pulvere glycyrrhizae, papaverisque semine, cremore hordei, pauco vino albo pulmonibus auxiliantur, et fluxiones sistunt. In pollinem redacta ulceribus malignis competunt. Cum melle illita, pilos attenuat. Filum e purpura quo vipera cervici circumposita suffocata fuit, collo circumdatum tonsillarum affectus tollit. Aëtius vero purpuram hircinio felle madefactam et mulieri umbilico diebus septem impositam conceptum juvare tradit, si deinde crescente luna cum viro congrediatur. Arist. l. c.

Differentia. *Differentiae seu genera*, si quaeras, sunt *Magnae*, quae ad Sigaeum et Lectum Idae promontoria gignuntur. *Parvae*, quas Euripus fert et Caria. *Pelagiae* quae magnae et scabrae, quarumque flos magna ex parte niger, sed nonnullis pusillum rubidus. Nonnullas ad pretium minae evasisse prodidit Aristoteles. *Littorales* quae parvae, et flore sunt rubro. *Echinatae*, quae vel pluribus spinis maxime in postica parte horrent: vel rarioribus, minoribus, et brevioribus. Illae extra modo flavescunt, modo candicant: intus, modo violacei sunt coloris, modo rubicund. Istorum tota turbinata pars rubicundo colore conspicitur, dorsum vero partim rubet, partim virescit. Anterior mucro acutus non est, sed notabili latitudine spectabilis. Intus colore ferrugineo, flavescente ac eleganti caeruleo variant. Sunt et *Rubrae*, ut in Austrinis partibus *Nigrae*, in Aquiloniis; *Lividae*, in Occidentalibus et Orientalibus. Marmoreae, qualis est illa longis undique tuberibus, ubique ferme duplicibus at minime acutis sed obtusis plena, labro latissimo, quasi canaliculato, binae enim id foveae percurrunt, tota fere marmoreae duritiei, undique candida, praeterquam in extremis foraminis oris, quae purpurascunt. Ad hanc pertinet tota ex cinerea candida, minor quam priores omnes labro subtus spinosa, cum alioqui nullae in toto corpore spinae dentur. Ventre est plane sessili, seu non turbinato. *Pentadactyli* denique, qualis est illa, quam superius descripsimus. Gesneri quam ex Adriatico mari accepit.

ARTICVLVS III.

De Buccino.

TAB. X. 8. Buccinum a similitudine potius buccini, quo sonus editur, rotunditate oris in margine incisa, ut Plinio visum dicitur, quam quod vel buccis admodum sonos musicos edat, vel buccas inflare tubicines rogat, ut Bellonius voluit, Gillius masculino genere extulit, quidam etiam dentale buccinum interpretantur. Graecis hodiernis φήκιον dici Gesnerus autor est: nonnullis

nullis στρόμβος et στρέβιλος idem significant. Communiter κήρυξ, forte a cera, quam muco similem mutuo attritu salivant, quod Graecis est κηρικάζειν vocatur; quod vocabulum ex antiquis Graecis nonnulli pro purpura sumpserunt: Plinius nonnunquam muricem transtulit, Athenaeus purpurae filium nominat.

Plin. H. N. l. 9. c. 36.

Descriptio. *Arist. H. A. l. 4. c. 4.* Testa tegitur scabra, eaque congenita promuscidibus, ut musca instruitur, quod membrum linguae effigiem prae se fert. Venter os protinus excipit, similis in umbilicis ingluvici avium. Infra duo candida quaedam firma specie mammillari, qualia in sepiis inveniuntur: sed haec solidiora. A ventre gula duplex longa ad papaver usque, quod papaver in fundo est: quae omnia perspici possunt in sinu verticoso testarum. Quod gulae jungitur intestinum est, a qua continuo tractu fertur totum simplex usque ad exitum, incipiens a verticoso sinu, quo papaver continetur, atque inde laxior. Papaver vero pars ejus ima esculentaque est. Inter hoc et cervicem flos est, sed, ut Plinius dicit, dilutior et minus floridus. Et haec de Buccino veteres. Bellonius Buccini concham ut plurimum minimi ovi magnitudinem non excedere, strias in tergore quinas habere, ut Nerita, plerisque in gyrum tuberculis obtusis, brevibusque obseptas, multo quam in purpura frequentioribus, sed ubi in claviculum desinunt, unicum tantum eam comitari testatur. Interna parte incisam oris magnitudinem habet turbinum modo, et canalem ad latus, per quem linguam exerit, purpurarum modo: eodemque operculo contegitur, qua etiam turbinata omnia, ne in testas contracta ab externis offendantur. Color testae intus lacteus, foris fulvus, tantaque magnitudine aliquando crescit, ut ad Cartejam purpurae et buccinae decacotyli, id est, decem cotylarum capaces reperiantur.

Locus. *Arist. H. A. l. 8. c. 13.* *Arist. H. A. l. 5. c. 15.* *Locum* si spectes, petris adhaerent, circaque scopulos leguntur. Canis exortu circiter tricenos dies latere scripsit Aristoteles, quod Plinius de muricibus accepit. Annos circiter sex vivere, idem tradidit.

Generatio. Idem ipsis *Gignendi* modus, qui purpuris. Semen ad generationem nullum habent. Favificare in more eis positum. Ova sub lapide prona parte oblonga albaque, deinceps pendentia disponunt, quae ita disposita favi nomen habent ab apum similitudine. Supina autem sub lapide stabulantur, cum favificant: quo vero tempore favos exstruunt, si incoquantur et abscindantur, ova intra continere comperientur: quae saliverio lentore lapidibus et cautibus ferruminant, ut inde decidere non possint: quod tam magno artificio constituunt, ut nihil coacervatum esse videatur.

Usus in Cibis. De earum in *Cibis usu*, haec scripsit Xenocrates. Buccinae sunt duriores purpura; et magnitudine ac loco differunt, triplicesque vires habent, testae, colli, et excrementi in testa contenti. Nam scabra substantia piscis alvum sistit, ac praecipue si assetur: contra magis facit elixa.

Collum earum alvum sistit, difficulterque concoquitur: idcirco ex sinapi vel aceto, aut liquore, aut pipere corrigere ipsum debent, qui eodem vescuntur. Aqua denique, quae ex eis manat, calefacta, ventrem subducit: Cum eo vero excremento, quod testa continetur, cocta, magis gilva fit, et piscis qualitatem praefert. Si vero totae decoquantur, majorem sistendi vim habebunt, et sitim adferent. Quidam vero eas elixas laevigant, et aeque ac urticas condiunt, fiuntque ori gratae. Luna exoriente plenae, et aestate graciles. Eadem apud Dioscoridem, Galenum et Diphilum invenire licet.

Usus in Medicina. Habent et in *Medicina usum*. Cardialgia laborantibus in cibis praescribit Trallianus, purulentis etiam, si salsus humor est. Ad alopeciam, usta, trita, et in oleo veteri subacta, et ad glutinis crassitudinem redacta a Myrepso vehementer commendantur.

Galenus ad ephelidas et lenticulas, in furno assa, et ex melle trita commendat. Andernacus ex succo limonum detrita ad manus mulierum deal-

dealbandas depraedicat, praesertim si aliquid argenti vivi sublimati, iisdem injeceris. In Belgio contra tussim inanem inprimis et puerorum, potus ex buccino propinatus.

Differentiae. *Differentias* quod spectat, Rondeletius duo reperiri scribit, parvum, nempe, lineis frequentibus asperiusculum, et alterum ei simile, nisi quod lineas prominentiores habeat, et transversas, ut striatum merito dici possit. Est et testa spissiore durioreque, nec non genus magnum coloris violacei, sed cujus orbes flavescunt, et in ore candicant. Gesnerus se et aliud vidisse scribit, purpurae similius, figura et magnitudine propius, tuberculis undiquaque dispositis, deinceps rotundis scite omnino eleganterque στιχηδὸν elevatum; nec in mucronem adeo exporrectum, sed capite obtusiore brevius. Missa et Aldrovando peregrina, colore et duritie marmoris, circulis rosas aemulantibus.

ARTICVLVS IV.

De Murice.

TAB. X. et XI. Nomen. Murex modo Buccinum, modo Purpuram significat, taceo colorem purpureum, cui Muricis nomen imponitur. Hic pro testaceo sumitur, Descriptio. quod et turbinatum et longos firmosque aculeos habet, nomenque ab asperitate murorum sortitum est. Perottus inter ostrea enumerat, propter scabritiem corticis. Sed alia in Ostreis asperitas, alia in Muricibus. Illa per totam superficiem sese repandit: haec, aculeis quibusdam per intervalla eminentibus constat, iisque longis et firmis, quod Plinius quoque firmare videtur, dum ait: Firmioris jam testae murices et Concharum genera. Valerius Flaccus dum intortum vocat, de buccino sumendus est.

Usus in Cibis. *Usum in Cibis* quoque habent, sed illaudatis. Xenocrates enim salsos virosos esse, et ventrem turbare, urinam ciere, ori ingratos, concoctu difficiles, pituitam gignere, etc. scribit. Scribonius Largus tamen et Celsus inter Cibos stomacho gratos recensent. (*Largus Compos. 104.*) Apud Macrobium etiam cum aliis conchis in epulo apponuntur, quo die Lentulus flamen inauguratus est.

Usus in Medicina. *Usum in Medicina* si attendimus, Carnes appositae pilos in mammis tollunt: Testarum cinis cum oleo tumores aufert; panis resistit; Capitis ulceribus cum melle illinitur; maculas in facie mulierum purgat, et parotides tollit. Habetur et pro dentifricio. Carbunculos de veretris exterminare, Marcellus Empiricus prodidit.

Differentiae. Quantum ad *Differentias* et Genera, est Murex *Marmoreus*, *Triangularis*, *Lacteus*, *Purpureus Orthocentros*, *Coracoides*, et *Aporrhais*. *Marmoreus* a candore et duritia nomen sumsit. Rondeletii parte interna ex albo purpurascit. Testa gravis est, densa, solida, aculeis multis horrens, figura inter buccinum et conchylium media, ampla, ut merito δεκακότυλος dici possit. Uritur facile, et in cinerem abit, acrimoniamque ob empyreuma acquirit, Ambustis medetur, cicatricemque pulchram inducit, postquam abluta, et cum oleo rosato in unguentum redacta fuerit. Gesneriani marmorei muricis color forinsecus pallescit, intrinsecus cum pulcherrimo splendore ex albo roseus est, Labrum exterius protendit se et dilatat in marginem: mucrones infra caput seu conum testae duo magni, sed obtusi prominent. In ipso cono parvi admodum et subrotundi, per spiras deinceps non aculei sed tumores visuntur. Huic accedit *Aldrovandi*, turbine acutissimo atque longo et exili, undique strictus aut potius undatus.

Triangularis, altera parte est planus, altera fere rotundus, sed ita, ut utrinque sint duo latera, tertium, plane pars afficiat, a qua figura, quae huic propria est, nomen sumsit. Aculeos habet breves et firmos, vario est colore, foramen duplex habet rugosum, quo ob testae amplitudinem et brevitatem sonus editur gravis et tristis. Operculum cum uritur, fumum emittit. Pinguedinis aliquid habere, recte inde colligas. Quare in oleo amygda-

amygdalino decoctum in aurium doloribus utiliter usurpatur. *Lacteo* color nomen imposuit. Obtusiore est turbine aliquando quam caeteri, aliquando Exochas potius et tubercula habet quam clavos. Triplices effigies invenies apud Aldrovandum. *Purpureus Orthocentros* totus forinsecus et intrinsecus rubet, turbine candicat. Mucrones habet duodecim rectos et robustos, sex constat volutis, quae exiguis et obtusis tuberculis resperguntur. *Coracoides* Rondeletio ab infirmis et rostris corvorum similibus aculeis dicitur.

Aporrhaides quidam inter Lepades, quod ut istae saxis adhaereant, ponunt; sed male. Faciunt enim et Neritae idem, quae tamen toto genere ab iisdem differunt. Adde Lepades parte altera detecta et carnem ostentante affixas; Aporrhaides vero acclinato tegmine, quod iis operculum est, ad saxa agglutinantur. Quid si illius Muricum generis sint, quae Graeci Plinio prodente Colycia, et Corythia vocant, turbinata aeque sed minora multo, efficaciora etiam, et oris halitum custodientia. Ut ut sit, quem Aldrovandus expressit, marmorea est duritia, intus et extra candicans, septem aculeis, ab uno tantum latere, iisque canaliculatis instructus. *Plin. H. N. l. 32.*

ARTICVLVS VI.

De Conchylio.

Aldrov. l. 3. c. 15.

CONCHYLII nomen ut ut universo testaceorum generi imponatur, privatim tamen pro unica specie accipitur. Sic apud Plinium invenimus, dum in Ponto conchylia non esse cum ostreae abundent, scribit: sic apud Philostratum in vita Apollonii, cum, in Biblo maxima conchylia et murices eximiae magnitudinis nasci, dicit. Sumi et pro colore, apud Plinium inprimis, tam certum est, ut demonstratione non indigeat. Qui pro Ostracio sumunt, nomen partis toti accommodant. Est autem ea parte latius qua in turbinem deficit, sine aculeis tuberculisve ullis. Foramen, quo caro interior ostenditur, non rotundum, ut in purpura et buccino, sed longum. Operculum blattam Byzantiam Serapionis esse, quae eadem, quod avium unguem aemuletur, cum ungue Dioscoridis, opinatur Rondeletius. Nec εὐῶδες vocabulum obest. Nec enim hoc semper gratus innuitur odor; saepe etiam gravis. Ideo expresse Dioscorides, ἀμφότεροι δὲ εὐώδεις, θυμιώμενοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ. At castoreum foetet, et utrumque, tam operculum, quam haec blatta Byzantia ad suffocationes uterinas adhibetur. Quod autem, in Indiae nardiferis lacubus unguis inveniri, et nardi pabulo vesci dicitur, cum conchylium marinum sit, id ex aliorum potius quam sua sententia a Dioscoride scriptum opinatur Rondeletius. Similis purpurae tegumento dicitur, non figura, sed usu potius et substantia.

Usus. *Plin. H.N. l. 21. c. 8.* Laudatissimus est, qui a mari rubro adfertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigrescit atque minor conspicitur, succum ipsi et quidem purpureum inesse testatur Plinius. Partes Conchylii omnes in medicamentis usurpantur. Crematum idem efficit quod purpura et buccinum. Caro interna medicamentis aurium dolores sedantibus a Galeno admiscetur. *Galen. l. 3. de Med. f. l.*

CAPVT II.

De Turbinatis in orbem circumactis.

ARTICVLVS I.

De Turbinibus.

TAB. II.

TAntum de στρομβώδεσι seu Turbinatis, et in anfractum tortis, sequuntur Turbinata, quae in orbem circumaguntur, *Turbines* nempe, *Trochi*, *Neritae*, *Cochleae*, *Echyni*, et *Conchylia*. *Turbinum* haud spernenda sunt genera.

Est

Descriptio. Est turben *magnus*, *auritus*, *tuberosus*, *angulosus*, *muricatus*, *pentedactylus:* sunt et *turbines in spongiis nascentes*. *Magnus* multis voluminibus constat, margine spisso et aspero, testa alba, lineis tuberculisque multis scabra et aspera. Foramen habet rotundum, et rimam qua excrementa excernuntur. Saxis haeret turbine sursum verso. *Auriti*, tres icones habemus, quorum primus perelegantem et in mari Gallico rarum exhibet, alter, intus et in tergore ferrugineum caetera croceum, concha tuberosa, prone et supine pictum; tertius, tuberculosum, testa superius leucophaea, inferne crocea. *Tuberoso* tubercula nomen indidere. Varii est generis, longus, tenuis, acutior, laevis, albus, niger, varius. Aldrovandus quatuordecim Icones exhibet, ex quibus secundus, est striatus, e monte erutus. *Angulosus* exinde nomen sortitus est, quod testae volumina ita a se discreta sint, ut in medio angulos efficiant. Ustus dentifriciis conficiendis utilissimus est. *Muricato*, tubercula brevia et obtusa nomen imposuere, testa est intus purpurea, foris alba, et quasi calce illita. *Pentedactylos* dicitur, quod quinque appendices longas et acutas, si extremum turbinis annumeres habeat. *Spongiis quae delectantur*, multorum sunt generum, quae omnia apud Aldrovandum videri possunt.

Conchula, quae lactea vocatur, in succo pomi Citrii, cum aqua vitae dissoluta, mulieres ad faciem fucandam utuntur.

ARTICVLVS II.

De Trochis et Nerite.

TAB. X. *Aldrov. l. 3. c. 25.* Trochi a similitudine instrumenti, quo pueri lusitant, appellantur. Omnes sunt leves et varii. Testa veluti crustis duabus constare videtur; externa minus nitet: quae subjacet unionum est splendore. Alii sunt parvi, alii oblongi. Icones exhibent *Magnos*, *Pyramidales*, *Niloticos albos et maculosos*, *Nerita* seu ut Scaliger legit Narita, Graecis νηρίτης, ἀνηρίτης et ἀνάρτης apud Athenaeum, Hesychio νήριτες, dicitur. Nomen a Nereo Deo marino sortitus videtur, quod is forte tali concha tanquam elegantiore buccinae loco, usus esse fingatur: sicut et Triton, quem visum auditumque in quodam specu Olyssiponensis orae concha canentem Plinius refert. Ab illis, qui Adriaticum sinum accolunt, etiam nunc veteri nomine appellatur. Testa est levi, si Aristotelis descriptionem sequi- *Arist. H. A. l. 4. c. 4.* mur, ampla et rotunda, forma buccinis proxima, papaver tamen non nigrum ut buccina; sed rubrum habet. Corpus medium testae firmiter annectitur. Tranquillis diebus soluti pascuntur: coortis ventis recipiunt se ad saxa cancelli, atque ibi quietem agitant. Neritae autem adhaerent more patellarum, et earum, quas ἀπορραΐδες Graeci vocant, et caetera horum genera omnia. Haerent enim saxis reclinato tegumento, quod quasi tegumentum esse videantur. Quem enim usum ambae valvae biforibus, hunc praestat altera tantum pars turbinatis. Intus pulpa carnea, inque ea os. In rimis cavernisque saxorum generantur, celerique incremento augescunt. Et olfaciunt, et audiunt. Ideo silentium servent necesse est, qui eos capiunt.

Motus. *Plin. H. N. l. 9. c. 33.* De *Natatione* eorum ita Plinius. Navigant ex his Neritae, praebentesque concavam sui partem, et alteram aurae opponentes, per summa aequorum velificant. Aelianus et Bellonius diversos ab Aristotelis Nerite proponunt. *Illius* est magnitudine exigua, pulchritudine eximia, et in mari ubi sordium nihil, et tranquillitas viget, inque saxis ad imam maris sedem adhaerescentibus nascitur. *Hujus*, testam in anfractum intortam habet, qua penitus inclusa, nulla ex parte praeterquam capite conspicua est. Apud Aremoricos tanta hujus testacei frequentia, ut abscedente aestu, magnos acervos e saxis colligant, et coquant. Quia papaver rubrum habet, pulmenta ex eo confecta, ac si minio tincta essent, conspiciuntur.

Graeci crudas ejus carnes edunt, quod appetentiam excitare, inprimis cum caepis comeſtae, credantur. Icones plurimas apud Aldrovandum vide. Nobis aliquot duntaxat exhibere viſum.

ARTICVLVS III.

De Cochleis.

Nomen. *Aldrov. l. 3. c. 29.* Cochleae, Ariſtotele *κοχλίαι* et *κόχλοι*, quod *τὰ ὄστρακα κυχλοτερῆ* habeant, Spartanis *σέμελοι* et *σέσηλοι*, Heſychio et Varino *σελάται*, aliis *πωματίαι* ab operculo, *φερέσικοι* et *φεροικύοι*, ſeu domiportae, *χαμαιδύται*, *χραμαδολίαι*, *ἀχραδαμύλλοι*, etc. dicuntur; quorum tamen nominum quaedam terreſtribus potius convenire videntur.

Deſcriptio. *Deſcriptionem* ſi attendas, Teucer animal eſſe ſine pedibus, ſine ſpinis, ſine oſſibus, teſtaceum, oculos nunc exerens, nunc retrahens, ad exemplum quaeſtionis ludicrae ſcribit. Siliceo, claviculatim intorto *tegmine* clauditur, quod vulgus teſtam, et volutam, Cochlearem teſtam Budaeus, Cochleam ſynecdochice Celſus, domum Sammonicus et Statius, calicem Plinius, *κέλυφος* Dioſcorides, *ὄστρακον* Galenus vocant. Si eam detraxeris hebeteſcere atque exſpirare quidam ajunt, negant illi, qui circa initium Auguſti exire, et novis ſuperinduci prodidere. *Capitis* figura carere, apud Albertum M. legimus. At Plinius equorum capitibus aſſimilavit, Maſſarius bovini prae ſe ferre figuram ſcripſit. *Cornua* quidam bina attribuere, ut Plinius; quatuor nos, id eſt, magna duo quae poſteriora ſunt, et minora totidem fere in fronte, habere videmus. An *Oculi* dati ſint diſquiritur. Pro viſu tentamenta proportione puncti atrioris in ſummo corniculorum accepiſſe, tradit *Scalig. in Ariſt. l. 1. de plant.* Scaliger. Carere iis, et corniculis in quibus arenacea durities, praetentare iter, Plinius. *Plin. H. N. l. 11. c. 37.* Habere in ſummitate cornuum, et cum appropinquant, oculos in cornua retrahere, cornua in caput, et caput in corpus, Albertus. *Os* eis ineſt. *Dentes*, acuti, tenues praeduri, *Plin. H. N. l. 11. c. 37.* ejusque indicium, deroſam a minimis earum vitem, dentibus carnoſum quid interjacet. *Promuſcidem* etiam inter aculeum et linguam habent, et ori jungitur quaſi ingluvies avium; a qua ſtomachus eſt, quem excipit venter, in quo ſitum eſt, quod papaver vocatur; mox inteſtinum continuum tendit ſimplex; originem a papavere illo ducens. *Saliva* quae punctis acu vel ſtylo carnibus manat, myxa Graecis dicitur.

Quantum ad *Locum*, reperiuntur in mari, fluviis, et terra, quarum iſtae ſylvas et conſita arboribus loca potiſſimum amant. Hyeme propter frigus nimium, aeſtate, quod fervidum tempus reformident, in occulto deliteſcunt, ſuoque ſucco vivunt, niſi quid roris de coelo deciderit. Ideo Varro: Locus is (pro cochleis) melior, quem et non concoquit ſol, et tangit ros. Locum mutare Aelianus prodidit, ad Propontidem calidam hyemare, ad Aegialum aeſtatem inſumere ſcribens. Locus. *Ariſt. H. A. l. 8. c. 13. Plin. H. N. l. 8. c. 32. Varro R. R. l. 3. Aelian. H. A. l. 10. c. 6.*

Rore *victitare* dixi, ſed non ſolo. Victus. Sub noctem ſaepiſſime ad paſtum exeunt, et tum poſt pluvias aeſtivas et autumnales accenſo lumine a ruſticis capiuntur. Plinius mire caulem aſphodeli in Campania proſequi et ſugendo arefacere ſcribit. *Plin. H. N. l. 22. c. 22.* Theophraſtus eaſdem inter ficorum genera recenſet. *Theophr. l. 7. c. 24.* Saginabantur apud veteres in vivariis. Inſtituit ea Fulvius Hirpinus in Tarquinenſi paulo ante civile bellum, quod cum Pompejo M. geſtum eſt, diſtinctis quidem generibus earum: quia et ſaginam commentus eſt, ſapa et farre aliisque generibus, ut cochleae quoque altiles ganeam implerent: cujus artis gloria in eam magnitudinem perductae ſunt, ut octoginta quadrantes caperent ſingularum calices. *Plin. H. N. l. 9. c. 56.* Macrobii ſeculo haec ſaginandi ratio ignorabatur. *Macrob. Saturn. l. 3. c. 13.*

Inimicitias cum lacertis gerere apud Plinium legimus, cum laris avibus apud Aelianum. *Plin. H. N. l. 8. c. 39.* Antipathia. Maſſarius ubi limax ſit, neque ſuem eſſe, neque perdicem ait. Sale ſuper limacem projecto, totum fere liqueſcere, et in aquam viſcoſam converti, Albertus M. prodidit.

De

Generatio. De *Ortu* non convenit inter authores. Solas ex omnibus testaceis in coitu cohaerentes videri, et vere ac autumno praegnantes apparere, ex Aristotele habemus. (*Aristot. l. 3. de Gener. l. 11.*) Gesnerus quoque Limaces coire, et ova parere candida, magnitudine oculorum lucii piscis, iisque incubantes mense Majo aliquando inveniri, audivisse se scribit. Albertus, et Porta ex limo, et putrescentibus aquis vel rore oriri, et ideo breviore vita frui. Hyeme tantum oriri, quod Plinio placuit, (*Plin. H. N. l. 9. c. 51.*) vix verisimile, cum easdem lactucis innasci testetur, (*Plin. H. N. l. 19. c. 10.*) nos viciae sciamus. Testa detracta hebetescere, et processu temporis in aureliam transire, ut eruca, atque immobilem vivere, sed quidnam ex eo animalis pennati oriatur, compertum nondum esse, Massarii fide addimus. Terrestres contractione et concussione corporis moventur.

Usus. De *Usu* earum in Cibis apud Romanos constat, ex superioribus. An vero boni vel mali sint succi, inter scriptores non convenit. Celsus boni succi esse prodit, nec intus vitiari; Galenus, (*Galen. l. 3. de Alim. facult. c. 2.*) etsi Graecis in mensa frequentes, sed concoqui pertinaces, crassioris succi, et quae ventriculo diutissime immorentur, solidius alimentum praestare, sed tardius et paulatim concoqui. Archigenes inter ἀθρόως nutrientia, et syncopticis exhibenda reponit: sed mendum, cum Mercuriali suspicor, (*Mercur. Var. lect. l. 1. c. 5.*) quod Aëtius, qui ad verbum transtulit cochleas omiserit.

Plinius nec veteres, nec recentes ori gratas esse reliquit. Fluviatiles et albas virus habere, ut et sylvestres. Alexandrinis ideo frequentiorem elephantiasin, quod crebro salsamenta, limaces, quidam et asininas carnes comedunt, si Coelio Rhodigino, et Galeno credimus. Mathiolo quae in apricis degunt locis, et odoratis victitant herbis, iis quae in opacis et palustribus degunt, praestant. (*Dioscor. M. M. l. 2. c. 8.*) Dioscorides terrestres stomacho utiles esse, nec facile corrumpi scribit. Optimas Sardonicas, Africanas, Astypaleicas, et quaeque in Sicilia ac Chio gignuntur, quaeque in Liguriae Alpibus, pomatiae, cognominantur. Marinas facile excerni: fluviatiles virus olere; quae vepribus frutetisque glutinatae cohaerent, quas sesilos vocant, ventrem ex stomachum turbare, addit.

Marcellus earum usum penitus improbat. Apud Apitium lacte et pulte pastas invenies. *In Medicina* frequens earum *usus*. In capitis dolore, caput praecisum de collo suspenditur. Earundem pinguedine capilli multiplicantur. Integrae pro febris amuleto, de collo suspensae commendantur. Oculis caligantibus Africanas combustas et tritas, Marcellus Empiricus commendat; auribus dolentibus, cum oleo nardino aut rosaceo fervefactas Asclepiades; cum hordeo decoctas Villanovanus. Cartilagines, carnem earum, glutinare, Hollerius prodidit; nervos Dioscorides. Tagautius emplastro ad maturanda oedemata adhibet. Sanguinis e naribus fluxum concisae ex aceto sistunt. Cum melle et felle bovis mistae, anthraces maturant et rumpunt. Tritae cum suis volutis hydropicorum aquas exsugunt.

Aqua ex Cochleis destillata, hecticam febrem ad uncias sex sumpta tollit; maculas oculorum, cum fimo lacerti, corallio rubeo, et saccaro destillata, abolet: clavos et verrucas, resectas, mense Majo vel Octobri detracta et instillata sanat. Pollen de testis limacum inanibus contritis fissuras manuum pedumque inspersus tollit, etc. Plura vide in Aldrovando.

Jam de *Differentiis* dicendum est. Differentiae. Multiplex autem ipsarum est varietas, magnitudinem, figuram, colorem, regionem, victum, vitam, et alia, si spectemus, sunt nigrae, albae, rufae, varinae, nudae, tectae. Adhaerent fico, lauro, asphodelo, carduis, aut foliis gregatim.

In mari rubro, maximam, testa purpurea, cum spira in medio, mira colorum varietate, inveniri, scribit Aelianus. Sertum, inquit, diceres, (*Aelian. H. A. l. 11. c. 21.*) summo artificio et ornatu contextum,

tum, e floribus multijugis, viridibus, aureis, rubicundis, per aequa intervalla digestis. Gyllius tantae se unam magnitudinis vidisse asserit, ut tantum vini caperet, quantum piscator exsiccare uno prandio posset. In Aegypti Nilo grandissimae feruntur, vocales, ululantium expressa similitudine.

In agro Romano sunt quaedam lupinis paulo majores, quae autumno quorundam carduorum caulibus acervatim adhaerescunt, si Mathiolo credimus. Minutae forte Plinio. Sunt et *Echinophorae* oblongae, quibus tubae loco utuntur tubicines; *Pomatiae*, quae cancellum qui testas ingreditur, vacuas, raro excedunt, et in Tridentinis montibus, e Terra, hyeme, et frutetis, uncis quibusdam ferreis, prope fruticum radices, terra circumfossa, eruuntur, praestantissimaeque censentur.

Seseli, quae sylvestribus frutetis et sentibus adhaerent: et ex quibus quaedam opere vermiculato a natura elaboratae conspiciuntur: *Cavaticae* in Balearibus insulis quae non prorepunt e terrae cavernis, neque herba vivunt, sed uvae modo inter se cohaerent. *Minus* denique *vulgares*, quae adhaerente operculo ejusdem testae sese operiunt, et semper terra obruuntur. Circa maritimas Alpes quondam effodiebantur, forte et hodie. *A regionibus* sunt *Illyricae*, quibus magnitudo praecipua; *Africanae*, quibus foecunditas; *Solitanae*, quibus nobilitas: *Siculae*, quae modicae, quoniam magnitudo duras facit, et sine succo; *Astypalaicae*, quae laudatissimae; *Linusiae*, ab agro, cui nomen Lino est, ita dictae, juxta Pytiuntem, medio inter Parianam coloniam et Priapum spatio; *Germanae*, quas Vegetius in potione equi prophylactica, admiscet. *Aceratae*, quae latae et multifariam nascuntur. Et hae quidem Terrestres sunt. Marinis accensentur, *Sarmatica*, *Caelata*, *Olearia*, *Depressa*, *Rugosa*, *umbilicata*, *Echinophora*, *Cylindroides*, *et laevi turbine obtuso*, addi his *umbilici* possunt.

Plin. H. N. l. 9. c. 56.

Sarmatica, in mari Sarmatico invenitur. Dolium corporis mole aequat, cornibus arboreis cervum. Extrema cornua in orbiculos rotundantur, unionum instar splendentes. Cervice est crassa; oculis accensae candelae modo micantibus; naso obrotundo, et pilis felium ad instar obvestito; rictu oris magno, sub quo pendet prominetque carnea moles, aspectu subhorrida. Quatuor nititur cruribus totidem latis et aduncis palmis.

In Dania se vidisse, forte mentitur Thevetus. *Caelata*, Caragolo demat, seu Scaragolo Hispanis, testa est turbinata et satis longa, caelaturis inaequalis et scabra, intus laevi. Operculo superiore parte est non aspero, intus tuberoso, inaequali, et rubri coloris. Succum salsum gignit, et venerem stimulat. Testa in aceto macerata, superiore veluti cute vel crusta spoliatur, redditurque cochleae margaritiferae modo splendens, nitida et unionis modo colorata. Huic similis est Cochlea maculis viridibus Aldrovandi, nec non ea, quae inter Turbinem et cochleam caelatam mediam naturam habere videtur. Quae hic exprimitur, operculo est miniaceo, miniaceis tuberculis, turbine violaceo infra, superne ferrugineo. Cavitas inter turbines, viridi est colore.

Aldrov. l. 3. c. 31.

Oleariae nomen a Plinio inditum, quod ea oleum decapularent, vel in usus quotidianos haurirent. Rotunda est, intorta, et adeo magna, ut aquae quatuor libras capiat. Hujusmodi aurifices, additis ansa et basi in urceos efformant.

Aldrov. l. 3. c. 32.

Depressa, est altera parte plana, altera excavata in voluminibus, quae initio parva paulatim crescunt ad foramen usque. *Rugosa*, rugas per transversum ductas, ita elatas habet, ut et striata dici possit. Colore est intus albo, foris flavescente, valde fragili. *Umbilicatae*, et quidem in medio, in satis insignem magnitudinem excrescunt. Aliae nigricant, aliae corneo sunt colore, aliae maculosae. Ad cochlearum terrestrium quae conglomeratae foeniculi crassioribus caulibus adhaerent,

Aldrov. l. 3. c. 34. 35. 37. 38.

rent, formam quam proxime accedunt. *Echinophorae* aculei, quibus tota conſperſa eſt, nomen indidere. Operculo, ſucco, ſubſtantia, a parvo buccino non differt. *Cylindroides* pyramidem, refert, pyri modo turbinata, magnitudine pugni, et punctis variis ſubcaſtaneis notatur. *Laevem turbinae obtuſo*, politam admodum Rondeletius facit. Teſta eſt craſſiore, carne minus dura. Frequentiſſime circa Levinum inſulam capitur. Hiſce adde *Limacis marini* inſolentem ſpeciem, nec non Cochleam marinam aliam tuberoſam, quorum Icones damus. *Umbilicum marinum* Bellonius lapidi rubro perſimili tegumento rugoſo et ſcabro occludi ſcribit, quodque ſolum inter Gallici Oceani turbinata politiem admittat. Rotundiori hiat ore, edulisque eſt. Clavicula earum herbarum more, quae ſeſe arboribus alligant, a dextra ad ſiniſtram invertitur. Papaver in clavicula teſtae continetur. Rondeletio *Umbilici* vocantur, quod praeter foramen illud, quo cochleae ſaxis inhaerent, quoque exerunt, alterum habeant umbilico admodum ſimile, quod profundum convolutionum veluti centrum eſt, vel circa quod anfractus Cochleae convolvuntur, veluti circa περικύκλιον.

Duos inprimis apud Rondeletium habemus, quorum prior, ſuperiore parte latior, mox in turbinem deſinens, nigris, rubris, et albis tuberculis, corallorum omnium colorem et naturam referentibus, diſtinguitur: alter ciceris magnitudine, qui in ſpongiis reperitur, veluti granulis rubri coralli aemulis conſperſus eſt. Inter umbilicum et foramen quo corpus exerit, teſtam inciſam habet, inciſurae operculi vice ſunt.

Articvlvs IV.

De Echinis.

Tab. XIII. *Aldrov. l. 3. c. 40.*

Nomen.

Echinus, quem quidam cum Echeneide piſce perperam confundunt, Graecis ἐχινὸς, vel ἀπὸ τοῦ ἔχειν ἑαυτοῦ τῶν σαρκῶν ἀφανῶν ἔσων, vel ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ἔχεσθαι διὰ τὰς ἀκάνθας ὁ ἐστιν ὁ ἀκράτητος, quod teneri ob

Deſcriptio.

aculeos non poſſit, dicitur. Quidam Carduum marinum, nec non Erinaceum vocant. Spinoſus ergo eſt piſcis. Mirum eſt, quod de iis Ariſtoteles reliquit. Eorum ſcilicet corporis partes diſſectas coire rurſus et redintegrari. Idem apud Aelianum et Philen inveries. Spinae ipſis pro pedibus ſunt: his ingrediuntur et volvuntur in orbem. Hinc eos ſaepe detritis aculeis invenias, quod Ariſtoteles et Plinius prodidit. Agilius et celerius moveri qui ſunt cibo idonei, vel exinde colligas, quod ſemper aliquid algae ſuis implexum ſpinis gerant. Imminente tempeſtate ſeſe affigere aut harena ſaburrare, ne a fluctibus excuterentur, inde procellarum nautis praeſagia, ab Oppiano, Plutarcho et Plinio creditum: at Bellonius fruſtra hoc credi prodidit, quod multis promuſcidibus inſtructi, a fluctibus volutari non poſſint.

Uſus.

Sunt ex illis quidam ἄβρωτοι, ſeu cibo inepti; ſunt tamen quorum et in *Eduliis uſus eſt.* Nullo enim tempore ovis carent, ut Ariſtoteles prodidit: maxime tamen pleniluniis diebusque tepidis pleniores redduntur; eos ſi excipias, quos Pyrrhaeus fert Euripus, qui hybernis menſibus meliores cenſentur. Exiguum illudque humidum nutrimentum praebent, Mneſitheo authore, ſed quod Galenus ſtomacho commodum eſſe exiſtimat. Ventrem dejicere, omnes fere ſcriptores annotarunt; magis eos qui circa Cephaleniam, Icariam, et Hadriam naſcuntur, quia amareſcunt minus, rubicundos, melinos, craſſiores, et qui cum raduntur, lacteum quiddam emittunt. Plinius Secundus jus eorum multis verbis commendat, quo vocabulo aquam internam eſſe intelligendam, Geſnerus putat. Laco apud Athenaeum unum in os immiſſum una cum teſta dentibus comminuit: noſtri, inquit. Dalechampius

Galen. l. de attenuante victu.

lapide, testam frangunt, et flavam sive croceam partem, id est, ova, edunt, de quibus ita Perottus. Scinditur Echinus levi percussu, hirta testudo in duas partes dividitur: abjicitur altera, altera vero leviter aqua abluitur. Decidunt sordes, quae in iis pro visceribus sunt: remanent quinque partita ova, subrufa, ad stellae imaginem formata. Haec cruda sumuntur, sapore non injucundo, quamvis nescio quid amaritudinis habeant. Conditos mense Decembri olim, Palladius author est.

Quantum ad *usum Medicum*, *venenatos* quidam prodidere, Arcesilaumque Batti Eudemonis F. cum in lethalem morbum incidisset, marino Echino in potionem a Learcho sumpto, mortem obiisse, apud Plutarchum legimus: quod tamen apud nullum alium invenies. Testae crematae cinis, Dioscoride teste, *sordida ulcera* expurgat. Eaedem contusae et ex aqua illitae *luxuriantem carnem* comprimunt, et incipientibus *panis* resistunt. Ad *capitis manantia ulcera* valere, Rondeletius author est. Ad *abortum* eundem prodesse Aëtius prodidit.

Plutarch. l. de virtut. Mulier. *Dioscor. l. 2. c. 1.*

Contra *urinae stillicidium* valere Paulus Jovius reliquit. Quippe, inquit, qui frigiditate maris praealti, in quo degunt, (sexaginta enim aut etiam amplius passuum gurgite oriuntur) ipsi quidem exigui sunt, sed aculeos grandes durosque gerunt. Caussa magnitudinis est, quod incrementum corporis in ipsos convertitur. Cum enim parum caloris obtineant, neque concoquere possint, multum ob eam rem habent excrementi: aculei autem et pili, et reliqua generis ejusdem excremento nascuntur. Duri vero et rigidi paene lapidis modo constant propter frigus. Ad *secundas expellendas*, Hippocrates tres tenuiter tritos in vino odorato propinat. *Alopeciam*, cinis cum adipe porcino vel ursino sanat, etc.

Hippocr. l. 1. de morb. mulier.

Differentiae.

Differentiae Echinorum sunt variae. Sunt *Toronenses*, qui circa Toronem nascuntur. Candidi sunt, et spinis et testa, et ore, augenturque forma productiore quam caeteri, estque iis spina parva, nec rigida, sed mollior. *Euphratenses*, quos Eratosthenes, ut est apud Strabonem, in insulis apud Euphratem, mirae magnitudinis esse prodit, alios pileis majores, alios δικοτύλες. In mari Indico facile congium capiunt, si Aeliano adhibenda fides. *Balthici*, qui instar magni mali sunt, et in mari Balthico inveniuntur. Duros esse, punicei fere coloris, et spiculis ademptis maculosos, Gesnerus prodidit. Circa Daniam quoque et Norvegiam habentur. *Fluviatiles*, ut Hermolaus et Massarius ex Paulo Aegineta prodidere. *Purpurei* mixto virore, quales in scopulis quibusdam maris mediterranei aqua contectis, apud Antii reliquias, et juxta Bajas, reperiri scribit Perottus, tam grata oculis varietate, ut, si colores durarent, nulla esset cum gemmis comparatio, sed mortuo pisce colores tabescunt. *Agiles*, qui velocius moventur, nec sunt edules. Ἄβρωτοι inde dicuntur. Calidiores quidem sunt, sed quia voraces iidem, et prae copia ingestorum cruditatem colligunt, ideo in cibos non veniunt. Bellonio si credimus, majores aculeos habent, sed crassitie minores sunt, vixque grandis gallinae ovum magnitudine excedunt. Diversa in eis colorum varietas. Sunt omnino nigri, albi, vitrei, rufi, flavi, cyanei. Quidam purpura splendent, subinde circumagentibus se igniculis, micantibus ad aculeos scintillae modo. *Ovarius*, ut Hermolaus vocat, quem Rondeletius ita descripsit. Forma ejus in rotunditatem conglobata est, dempta una parte parum compressa, in qua *os* est rotundum, quinque *dentibus* incurvis, intus cavis, et in idem punctum coëuntibus munitum: ii quinque maxillis internis connexi sunt, quae ab ore intus erectae, ex acuto in latum tendentes, et ambienti calyci non continuae. Inter dentes interna *caruncula* quaedam est, quae linguae vice est; mox jungitur *gula*, quae in *intestinum* desinit longum, per testam stellatim dispositam, ejus tenuibus fibris

Strabo Geogr. l. 16.

bris suspensum, tandem in parvum foramen terminatur. Hoc foramen ad egerenda intestina destinatum est, ex adverso oris situm, ita ut os in terram versum sit, excrementi foramen supra habeatur, Partus enim ex imo petitur, unde fit, ut os ad partum sit versum, excrementum vero superius parte prona testae contineatur. *Excrementa* rotunda sunt exiguarum pillularum instar. Qualis intestinorum talis ovorum ordo est. Nam inter nigrum id, quod carnis vice est, et intestinum ova flava cernuntur, quae sola eduntur cruda.

Testa tota intrinsecus foraminibus parvis plena est, per quae movendi facultatem *nervi* aculeis suppeditant: Extrinsecus in exigua tubercula eriguntur aculeorum cotylem excipientia, vinculo, membranula, scilicet, obligata, ut in orbem moveri possint. Talis radii cum brachio articulatio. Aculeorum igitur caput cavum est, et in aculeum illi desinunt. His in gyrum movetur.

Spatagus et Brissus prout a Rondeletio describitur, vix a cordis figura recedit, aculeis parvis et raris septus. Os dentibus caret, verum maxilla inferior superiore prominentior est, ad hauriendum aquam arenamque accommodata. His enim et luto vescitur. In interiore testa intestinum est convolutum, aqua et arena plenum, neque ova, neque nigrum illud continet, quod carnis loco est. Rari sunt.

Echinometra, quam cum Plinio, spinas longissimas calycem minimum habere Gillius putavit, cum Aristotele Rondeletius et Bellonius calycis potius magnitudine alios superare, crediderunt. Ille ejus magnitudinis exhibet, ut ambabus manibus quaqua versum extensis vix capi potuerit. Hic in Insulis mari Aegaei ita profecisse vidit, ut ad duorum pugnorum crassitudinem extuberarent. De caetero, pelagiae sunt, minimis aculeis praeditae, brevibus et obtusis interceptae spiculis, colore ad extrema albicantibus, ad radices liventibus, et ex purpurea nitentibus. Parte prona planae, supina rotundae visuntur.

Aldrovandus quatuor exhibet. *Prima* est aculeis non admodum longis, coloris tota ferruginei. *Altera* spinis denudata, extrinsecus scabrosa, coloris ejusdem. *Tertia*, magnis longisque aculeis insignita, coloris tota amethystini. *Quarta*, omnium maxima, quae in Thyrreno et Adriatico mari nascitur, tantae capacitatis, ut quinque aquae libras capiat, in superiore parte gibba et rotunda, inferiore plana. Circumferentia erat duorum dodrantum et palmi. Calyx evidenter in parte anteriore apparebat albus, in quinque ceu ventres, ut in Melopeponibus divisus, quorum singuli tres habebant taenias, quarum media erat tanquam sutura, quae partes separat, et facillime aperitur, aperta figuram serrae refert. Binae illae aliae teniae sunt colore quasi castaneo, crebris foraminibus pertusae, quae tamen nisi expositae aëri; non apparent, quintuplo majores ea futura. Dentes habebat quinos, concavos, figura triangulari, etc.

Est tandem Echinus *Minimus* pelagius, spinis grandibus, longis, et praeduris, modo paene lapidis. Plerumque un Judeo Italis vocatur, quod perpetuo nigrescat et sordescat. Testam juglande majorem non promit, estque reliquis omnibus vividior. Nam si supinum ponas, mox suas spinas deprimit, et se in pronam partem convertit. Gignitur in alto gurgite. Bellonius ita hoc genus descripsit. Plures habet quam alii proboscides: idcirco citius repit, firmiusque haeret. Ova non fert, sed sanguineum quiddam nigrum saniei simile, quo manus cruentat. Dentes verticilli modo habet quinos, circulari ordine dispositos, quibus algas, saxa, et conchyliorum testas arrodit. In interna ejus parte multos nervos annexos cernas: ex quo indigenae coacervatam dentium congeriem, ita cum nervis exsiccari sinunt, ut annulli vice ad signandum panem utantur. Refert enim quinquefolium, vel quippiam simile affabre delineatum. Ventrem in quinque partes distinctum habent, quae ab oris verticillo testae appensae, ad foramen excrementi coëunt, sed disjunctae sunt, et

quaſi interventu liminum diſcriminantur. Totidem promuſcides habent Echini, quot in teſtis foraminulis pertuſis apparent. Sunt enim ultra ſex millia in quolibet.

Ad hunc referri poteſt ille, qui in *rubri maris* littore ſemipedem latus, prona parte planus, ſuperiore gilvus, paucioribus ac minus frequentibus ſpiculis praeditus a Bellonio viſus eſt; nec non ille maris rubri aculeis longiſſimis ferrugineis, ad rubrum vergentibus, cujus pictura Caſtelleto Genuenſi debetur.

Quem in *quinto genere Rondeletius* repoſuit, ſaxo inhaerentem, calyce quoque eſt parvo, ſpinis pro corporis ratione longis et duris, quo ad urinae deſtillationes feliciſſime idem uſus eſt. Idem eſt cum Echino Ariſtotelis, quem in Hiſtoria Animalium deſcribit. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 5.*

ARTICVLVS V.

De Conchyliis, et quidem Bivalvibus.

PVNCTVM I.

De Conchis.

TAB. XIII. Hactenus de Echinis, ſequuntur Conchylia, quae vel ſunt *Bivalvia* ſeu δίθυρα, vel *Univalvia*. Ad illa pertinent, *Conchae*, *Chamae*, *Oſtrea*, *Pectines*, *Muſculi*, *Mytuli*, *Tellinae*, *Balani*, *Pholades*, *Solenes*, *Pinnae: et Conchae anatiferae*. *Concharum* plura ſunt genera, quae ad *Aſperas* ſeu ſtriatas rugoſaſque et *Laeves* redigi poſſunt. *Aldrov. l. 3. c. 41.*

Ex *Aſperis* eſt 1. *Margaritifera*, quae & Indica, quod apud Indos; apud quos βέϱβεϱ, dicitur, plurima naſcatur, et Mater perlarum dicitur. Androſthenes apud Athenaeum in Indiae navigatione ita deſcribit. *Athen. l. 3.* Oſtreum aſpectu pectini ſimile, concha non ſtriata ſed plana, ſpiſſa, (hirſutam Echinorum modo male Plinius reddidit) non utrinque aurita, pectinis modo, ſed una tantum parte. In ejus carne gemina concreſcit, ut in ſuilla grando: modo colore adeo ſimilis auro, ut cum eo collata non facile internoſcatur, modo argentei coloris, modo omnino alba, et piſcium oculis ſimilis.

Differentia. Multa earum genera Plinius recenſet, cujusmodi ſunt, Pentedactyli, melicembates, echinophorae, etc. *Plin. H. N. l. 32. c. 11.* Interdum tam grandes in India reperiuntur, ut referant inventam in mari inſulae Borneo, cujus caro pondus ſeptem et quadraginta librarum pendebat. Sunt quaedam totae argenteae: quaedam colore rubicundo flammeo micant.

Uſus. Carnes ab Indis quandoque crudae, quandoque aſſae comeduntur. Ex teſtis varia, ut ciſtae, pocula, cochlearia, ſcipiones mulierum, et tabulae luſoriae formantur. Indae mulieres armillas et monilia ex illis geſtant.

De Margaritis in Hiſtoria Naturali foſſilium agemus.

2. *Imbricata*, ſeu imbricatim undata, ſic dicta, quod teſta ad undarum ſeſe attollentium ſimilitudinem diſtincta eſt. *Aldrov. l. 3. c. 43.* Graecorum vulgus *Aganon*, Calojeri Arabiae *Tridacnem* vocant.

Deſcriptio. Eſt dura, carne concoctu difficili. Quae Tridacna Plinio dicitur, eſt pedalis longitudinis. Utraque teſta libras medicas quindecim pendebat. Eo loco, quo ſibi invicem connectebantur, ſingulae duos digitos per tranſverſum craſſae erant. Allata erat Aldrovando ex rubro mari. Tridacna dicitur, quod nonniſi tribus vicibus deglutiri poſſit.

3. *Striata*, cui ſtriae percurrentes nomen dedere. Varia harum ſunt genera. Albae ſunt, nigricant, flaveſcunt, per ginglymum colligantur. Eſt quaedam *longa*, ovi figura, teſtis multum cavis, canaliculis parum profundis. Eſt et *pectiniformis* tota ex cinereo luteſcens, faſciis tribus ochreis ornata. Eſt et extra ferruginea, intus albo, et purpureo violaceo varia, in qua animans luteo, caeruleo, et rubro varium.

Eſt

Eſt et *Candida* ac admodum lucida: faſciam in medio habens latam caſtanei coloris, cujus medium percurrit linea caſtanei coloris valde ſaturati.

Aldrov. l. 3. c. 45. 4. *Echinata*, qua pectini ſimilis eſt, teſtis admodum concavis, ſtriatis, in ambitu inciſis. In ſtriis ſive exochis eminent aculei frequentes, incurvi, certis intervallis a ſe diſſiti. Plin. H. N. l. 9. c. 35. Uniones in ea reperiri teſtatur Plinius. Nam et Juba tradit, Arabicis eſſe concham ſimilem pectini inſecto, hirſutam Echinorum modo, ipſam unionem in carne ipſa eſſe grandini ſimilem.

5. *Squammoſa*, quae ſtriis ſeu lineis ſemicircularibus, ſquammarum in modum eſt exornata.

Aldrov. l. 3. c. 47. 6. *Longa*, cujus duas ſpecies Rondeletius ponit. Unam colore vario, in medio albeſcente, intus cum laevitate candido: Alteram, teſta alba, aſpera, lineis multis diſtincta, quam Plinii longam eſſe putat. At Aldrovandus veram Plinii longam ſe exhibere credit, colore extra albo fuſcoque variam, intus vero roſeam, animante ſuo praegnantem. Idem aliam exhibet, parte quae replicatur, foramina multa, ordine diſpoſita habentem, quae a natura forte, ut aër ingrediatur, facta ſunt.

7. *Pictorum*, quae ideo ita vocabitur, quod teſtae ejus pro conficiendis coloribus raderentur. Craſſitudine plurimum excedit, et florem foris habet. Reperitur maxime circa Aldrov. l. 3. c. 48. Cariam. Aldrovandus unam exhibet ex Rondeletio colore Cinnabaris, aut Sandarachae, figura Spondylorum aut minorum Oſtreorum.

8. *Corallina*, quae quod Corallum Aldrov. l. 3. c. 49. colore imitetur ita dicitur. Externa teſtarum parte pectinem refert: ſed lineis eſt aſpera, tuberculis rubris inaequalis, intus laeviſſima, candidi marmoris colore. Carnem habet duram, odore viroſo, ſapore ſalſo. Poſt diutinos Auſtri flatus, et caniculae exortum in littus ejicitur.

9. *Rugata*, quae lineis multis et elatis, per tranſverſum ductis rugata eſt: teſtis valde ſpiſſis, coloris intus argentei, quae per ginglymum articulantur. Ex iis Spherulae precum et dentiſcalpia conficiuntur. Aldrov. l. 3. c. 50. et 51.

Ad hanc pertinet *Conchula rugata Rondeletii*, quae a latere ad latus multas veluti rugas ſparſim et ſine ordine habet, Teſtae ſunt depreſſae, colore vario. Labra teſtarum craſſa et tam arcte connexa, ut ſine vi non aperiantur. Diphilus carnem copioſum bonumque ſuccum gignere tradit.

10. *Rhamboides*, quae veteribus ignota videtur, quod teſta ſit muſculorum marinorum teſtae ſimili, *muſculum ſtriatum*, Rondeletius vocavit. Tota concha nigricat. Rara eſt, quia in alto mari degit, duramque carnem habet. Bellonius Balanum Graecis dici putat, ſed falſo, ut apud Rondeletium videre eſt.

Ex Laevibus eſt *Concha Galades*, Aldrov. l. 3. c. 53. 54. 55. 56. et 57. *Nigra*, *Faſciata*, *Craſſae teſtae*, et *Tenuis teſtae*. *Galades* ſunt maximae et laeviſſimae, intus vero candidiſſimae, non admodum concavae, caro ipſis alba, dura, concoctu difficilis, ſuccum craſſum gignens. Satis raro capiuntur. *Nigra*, hiſce eſt ſimilis, niſi quod intus et foris nigricat. *Faſciata*, teſta eſt admodum laevi, dura, et marmorea. Nomen hoc obtinuit, quod quinque veluti faſcias latas a latere ad latus ductas habeat. Harum plures Aldrovandus exhibet. *Craſſae teſtae*, a galadibus et Chamis aſperis, non tantum teſtarum craſſitudine, ſed faſciarum ratione, quae in illis rariores et latiores ſunt, et in his plures et unica tantum linea conſtantes. Aldrovandus aliquot earum icones exhibet, interque has clathratam majorem et minorem. Ex uſtis et in cinerem redactis praeſtantiſſimum antiſpodium fieri ſcribit Rondeletius. *Tenuis teſtae*, conchae, extra ſunt colore faedo, lutulento cinereo, intus argenti modo reſplendent.

PVNCTVM II.

De Chamis.

TAB. XIV. *Aldrov. l. 3. c. 58.* Nomen. Chamarum nomen a verbo χῶ, ut Gesnero placet, derivatur, inditumque huic concharum generi, seu quod hient, seu a capacitate. χήμη Varino est χάσμα, id est, oscitatio, unde Plinius, Conchas Margaritarum pandere se dixit quadam oscitatione. Galli flammas et flammatas vocant, Itali Peverazas, non tam quód sapore sint piper redolente, quam quod pipere condiantur. Spartianus Ostreas et Lithostreas cum dixit, in Heliogabalo Chamas tracheas et Chamas leas intellexisse Hermolao creditur. Quidam Hiatulas dixere, Galenus vero Concham pro Chama usurpavit. *In genere* eas si spectes, vix in tanta varietate constat, quomodo a conchis et quibus notis differant, hoc unico excepto quod Chamae id peculiare habent, quod plerumque in littore hiantes inveniantur; unde earum nomen Ion Chius ἀπὸ τȣ̃ κεχηνέναι derivat. *Aelian. H. N. l. 15. c. 12.* De caetero ita Aelianus de iis. Chamae marinae et variae et multiplices sunt: aliae asperae, aliae laeves: quaedam digitorum compressu confringuntur, aliae vel saxo aegrae conteruntur. Quaedam ipsarum nigerrimae sunt, nonnullae argentei coloris similitudinem gerere videntur, aliae utroque colore mixto insignes. Ac quemadmodum earum est varium et multiplex genus, sic multas et diversas sedes habent. Quaedam enim in littoribus dispersae jacent in arena, vel in limo quiescunt: nonnullae sub algam subjiciuntur; aliae saxis mordicus adhaerent.

Locus. Aestivo tempore cum incipit messis, in Istrico mari gregatim natant, et leviter feruntur, cum ante id tempus sua sibi mole graves efferri non possint. Contra, ex tranquillo mari Ingenium. mirifica voluptate afficiuntur, et Favonii mollibus auris afflari gaudent: eamque ob rem in latebras abditae, et in suis conniventes testis, cum a tempestatibus mare conquiescere sentiunt, et Favonium flare, tum relictis sedibus, ad summum maris natant, et apertis testis eminent, et quiescentes ventum expectant placidum ac secundum: qui si contigerit, alteram concham substernentes, alteram erigentes, hac pro velo, illa pro navi ad navigandum utuntur, ut si eas procul videas, sic per tranquillum mare natantes, classem navium existimes: Quod si navem ad se accedere sentiunt, aut belluae impetu, aut valentioris piscis metu perculsae, contractis uno impetu testis, subito delabuntur. Carnem alvum et urinam ciere Athenaeus scribit: at Dioscorides urinae non meminit. *Dispescuntur in Laeves, et Asperas, Asperae* χῆμαι τραχεῖαι Graecis nomen a testarum externa parte, qua lineas multas obliquas et cavas, ideoque musco oppletas habent, traxere. *Aldrov. l. 3. c. 65.* Bellonius valvas tornatas et orbiculari fere rotunditate habere dixit, Testas tam duras, ut nonnisi valido ictu confringi possint. Labra haud quaquam in gyrum denticulata, sed Mytulorum more laevia. Movetur ut limax, et quia fortibus spondiliis constat, iis testas movendo per arenam lumbricorum more, conscendit. In arena circa littora reperiuntur. Carnem ipsorum Icesius duriusculam, mali succi, parum nutrire, facile excerni, marisque salsuginem referre pronunciavit. Diphilus stomacho gratam esse addidit.

Laeves Chamae, Chameleiae Graecis dictae, testa duplici constant, quae *Aldrov. l. 3. c. 59.* tamen digitorum compressu facile frangitur. Conchis laevibus, quae Galades dicuntur, similes sunt: et tantam in Oceano magnitudinem adipiscuntur, ut quaternorum digitorum latitudinem, senorum vero longitudinem exsuperent. Intus et foris candidissimae sunt, *Caro* quoque intus candida, inque ea duo foramina cernuntur: alterum os est, alterum excrementi meatus, utrumque sinuosum, ut dilatari et constringi possit: hoc ad attrahendum

hendum aquam, illud ad rejiciendum excrementum. Habent et μήκωνα, ut conchae caeterae. Latere magis protuberante ſemper hiant. Facile a calido tanguntur: quamobrem mox hiantes ſua labra pandunt, et facilius exanimantur, ſi longius ſeceſſerint a mari. In arena cum Tellinis capiuntur. Moveri a ſe, et ſedes in littore mutare comperiet, qui eas in vaſe aqua pleno immerſerit; quod Veneti ut minus exanimes ſervent, faciunt. Non elotae propter arenam reſpuuntur: recentes elotae et adhuc vivae Tellinis non ſunt poſthabendae. Differentias earum varias Aldrovandus poſuit, quem in Iconibus vide.

Aldrov. l. 3. c. 60. Sub Laevi comprehenduntur, *Piperata*, *Nigra Bellonii*, *Nigra Rondeletii*, *Glycymeris ejuſdem*, et *Peloris*.

Piperata Bellonii *Biverone* quibuſdam Italis dicitur, non tam quod ob piperis ſaporem ſitim excitet, quam quod perpetuo bibat, neque diu ſine aqua ſervari poſſit, atque in forum allata et aquae immerſa geminam atque oblongam exerat ligulam, ut cochleae modo perpetuo ſitiens moveri percipiatur. In coeno degit, et uſque adeo tenues teſtas habet, ut tranſpareant. Cardinibus non junguntur invicem infarctis, ſed nervo ut oſtrea. Labra habent laevia magisque in rotunditatis ambitum circinantur quam Tellinae.

Aldrov. l. 3. c. 61. *Nigra Bellonii* robore teſtae cum aſpera facile certat: nec crenas ita profundas in labris habet. Peloride quoque major eſt et dulcior. Ideo glycymeridem putat.

Nigra Rondeletii eſt teſtis oblongis, laevibus, duris, ſpiſſiſque ac veluti marmoreis. *Glycymeridibus* ſapor carnis dulcis nomen impoſuit, facitque earum Macrobius mentionem. *Aldrov. l. 3. c. 63.* Sunt majores quam Pelorides, teſta oblonga mytulorum fluviatilium teſtae modo, ſed duriore et ſpiſſiore, rugoſa, non tamen ob id aſpera, ex albo rufeſcente, carne et ſucci bonitate Peloridi ſimiles. Sunt qui Glycyamaridas vocant. Aldrovandus Pelorides majores Athenaei eſſe credit. Fruſtra vero Corycia in Plinio ad Chamas glycymeridas referas. Macedones enim, teſte Aegeſandro, conchas aſperas κορύκες ut Athenienſes κρίες, id eſt, arietinas vocant. Macrobius in coena aditiali Lentuli appoſitas fuiſſe dixit. *Macrob. Saturn. l. 5.*

Aldrov. l. 3. c. 64. *Pelorides* non tam a luto, (ſcribi deberet πηλώριδες) quam vel a magnitudine: πελώριον ſive πέλωρον ſignificat τὸ μέγα καὶ τεράτιον, id eſt magnum et prodigioſum, vel a Peloro Siciliae promontorio, juxta quod optimae reperiuntur, nomen ſortitae ſunt. Athenaeus eas uno loco ex ſententia fortaſſe Phililii a Chamarum genere ſegregaſſe videtur. Duabus conchis conſtant, ut Rondeletius reliquit, quae nunquam ita junguntur, quin ſemper hient, ſeu vivo ſeu mortuo animali, etiam ſine calidi contactu. Eae oblongae ſunt et laeves, ex albo purpuraſcentes, in medio connexae. Caro intus alba eſt, quae etiam contracta, tota teſta vix capi poteſt, extenta longior multo eſt, rotunda, ſpiſſa pudendo virili non abſimilis, digiti medii craſſitudine. In extremo altero foramina duo apparent, alterum oris eſt rotundum, alterum excrementi. Bellonius a calcinellis differre ſcribit, quod turbinatiori et grandiori corpore conſtent. *Bellon. de Piſcib. l. 2.* Calcinellae enim, inquit, compreſſiore ſunt forma teſta translucida, ac multo quam Chemaeloji teneriores, Media autem eſt inter aſperam et laevem conſtitutione et natura. Non enim ita horret ut aſpera, neque ita glabreſcit ut laevis, albo praeterea ac fulvo emblemate diſtinguitur.

Ejus caro durior eſt, quam Tellinarum. *Uſus.* Diphilus copioſum bonumque ſuccum gignere tradit. Labra earum, addit idem, ſunt craſſiuſcula, et tam arcte connexa, ut niſi vi aperiantur, et ſaepe etiam rumpantur, priuſquam os aperiant. Hucuſque Bellonius.

PVNCTVM III.

De Oſtreis.

Tab. XIV. Nomen. Teſtaceum quod Latini Oſtreum et Oſtream dicunt, Graeci veteres ὄϛρεον, et ὄϛρειον, vel ἀπὸ τȣ̃ ὀϛράκȣ, vel quaſi ὄϛεον quod teſta velut oſſea tegatur; moderni ἀϛρίδιον, Pſellus ὀϛρίδιον, Heſychius ὑϛρακὸν, vocant. Invenies tamen ὄϛρεον pro toto teſtaceorum genere ſumi. Unde Suidas Echinum θαλάττιον τὸ ὄϛρεον tradit.

Deſcriptio. *Aldrov. l. 3. c. 66.* *Formam* quod ſpectat, ita de iis Aldrovandus. Quod ad formam Oſtreorum attinet, Bellonius inter bivalvium genera hoc peculiare ait eſſe oſtreae, et pectini, ut partem habeant pronam et ſupinatam, quarum altera ſit turbinatior ac praetumida, altera vero plana, Plinius alibi originem atque genituram conchae, quae Margaritas fert, eſſe ait, haud multum Oſtrearum conchis differentem.

Alibi quoque Thethya oſtreae ſimilia eſſe ſcripſit. Et Hegeſander apud Athenaeum hepatum piſcem in capite duos lapides habere, colore ſplendoreque oſtreis ſimiles. *Capita* oſtreorum generi nulla eidem Plinio. Galenus oſtreis pilos eſſe negat, ſed melius Plinius oculis carere oſtreas omnes dixit. Eidem praeterea oſtreorum praecipua *ſpondylo* (caro hac interior) brevi ſunt, atque non carnoſo, nec fibris lacinioſo, ac tota in alvo. Perottus ſpondylum in Oſtreo eſſe ſcribit, calloſum illud rotundum, albicans, quod intus habeat in medio, a ſimilitudine ſpondyli, quod nos verticulum dicimus appoſitum ſuſis, ut melius nendo vertantur. Nam reliqua caro circumſperſa *Lacinia* dicitur. Quod *Ovum* vocatur. Wottonus non ſemper, ſed vere habere oſtreas aſſerit; moxque procedente tempore minui demumque totum fere aboleri.

Ariſtoteles illud in altera tantum parte eis fieri voluit, idemque eſſe, quod Echinos habere alias dixerat. Eodem authore Oſtreae meatum habent, quo excrementum ſecedat parte ſuperiore. Idem Ariſtoteles *teſtas* eis tribuit ſcabras, alibi etiam labra craſſa. Et Plinius quaedam ſilicum duritia tegi, ut oſtreae et conchae dixit.

Generatio. Quantum ad *Generationem* nullum eis ſexus diſcrimen, ut Plinius et Oppianus prodidere: ideo putreſcente limo proveniunt, aut ſpuma circa navigia diutius ſtante, defixoſque palos, et lignum maxime: ſed et in cavernoſis et petroſis aquarum dulcium adventu gignuntur. Obtinere tamen ex putri producta aliquid prolificum quamvis non coëant, apud Ariſtotelem habemus. *Ariſt. de gen. l. 3. c. 11.* Hinc et Plinius: Nuper compertum in Oſtreariis humorem oſtreis foetificum lactis modo effluere, et Petrus Gyllius, Bizantinos oſtrea ſerere et eorum quaſi lac ſeminare; a ſpectatae fidei viro ſe accepiſſe ſcribit. Grandeſcunt ſyderis ratione maxime, ſed privatim circa initia aeſtatis multo lacte praegnantia, atque ubi Sol penetrat in vada. *Plin. H. N. l. 2. c. 41.* Sydus illud Luna eſt, quae plena corpora humentiora reddit, adeo ut nec prudentes Chirurgi trepanotum aperiant, quia tum cerebrum magis diffundi, et totam cranii capacitatem impleri eſt neceſſe. Nullum eiſdem ſenſum ineſſe apud Plinium legimus. Auditum eſſe non eſt veriſimile, inquit idem, ſed ad ſonum ſe mergere ſolent, ideo et ſilentium in mari piſcantibus. Tactus tamen omnibus. Carere et motu Ariſtoteles prodidit. Aqua marina et limo *paſcuntur*, quin et rore; quare ἐρσήεντα Oſtrea, id eſt, roſcida, Oppianus dixit.

Locus. De *Loco* in differentiis agetur: hoc tamen addere placet, non tantum in pelago, dulcibuſque aquis, et ubi plurimum influunt amnes, reperiri: ſed et in petroſis, carentibuſque aquarum dulcium adventu, ſicut circa Grynium et Myrinam, quod apud Plinium legimus. Mirum vero quod apud Athenaeum habetur, poſtea quam Appameam Phrygiae urbem, Mithridatici belli temporibus a motu terra diſceſ-

discessisset, lacus, qui ante ibi nulli comparuissent, repente extitisse, fluviosque et fontes novos ex iisdem locis terrae motu excitatos fuisse, veteresque multos exaruisse, ac nimirum plurimam aquam tum dulcem, tum salsam, tametsi ab eis locis mare longe abesset, ex visceribus terrae sic emanasse, ut tractum universum illum tum ostreis, tum aliis piscibus marinis referserint.

Inimicitiae. *Infestos* sibi Cancros marinos et stellas marinas ostrea habent. De illis author de natura rerum ita: Cum testas aperit ostrea, ut clementioris aurae deliciis glorietur, cancer insidias ei repentinas praetendit, et lapidem inter ejus testas projicit, ne illas conjungere possit, et sic carnes ostreae comedit.

Usus. *Usum in Cibis* habere nemo non novit, crudas, elixas, assas, omniumque testatorum nobilissimas, Bellonius prodidit. Legimus tamen apud Galenum, carnem ipsarum humidiorem et tenaciorem esse, est crassi succi, humoremque crassum, crudum, et frigidum gignere. Crudae salsum humorem de se fundunt, ideo alvum movent, et tentiginem excitant, Elixae, humore suo destitutae, murmura excitant, secundum Jovium, secundum Julium Alexandrinum, ob multam carnis mollitiem concoctu faciliores sunt, ac pituitam potius, quam crudum humorem, procreant. Assae, (assantur autem in craticula addito aromate multo ac salis momento, sed testis suis non avulsae) minime noxiae sunt. Plinius crudas stomachum unice reficere, fastidiis mederi, ac leviter alvum mollire scribit. In pontificali coena apponebantur, teste Macrobio, echini initio et ostrea cruda. Qui modo edere eo volet, Lunae modum observet; hoc est, ea decrescente, ea edas: senescente longe sunt deteriora.

Galen. l. de boni et mali succi ali. 3.

Macr. Sat. l. 9. c. 6.

In Medicina invenere quoque locum. Adhibentur ex mulso et pipere cocta contra tenasmum. Gariopontus hydropicis dedit. Usta ad labiorum ulcera et alia prodesse, apud Myrepsum habemus. Cinis dentes splendidiores efficit. Trita et optime laevigata ulcera rebellia exsiccant, quod Galeno debemus. Cinerem veteri urinae misceri adversus eruptiones in corpore hnmano et ulcera manantia Plinius reliquit. Marcellus Empiricus eundem, si in morem salis pane colligatur et voretur, statim ad removendam narium gravedinem proficere scribit. Rondeletius denique experientia comperit, ex testarum cinere factam aquam lixivam, ad minuendos tumores οἰδηματώδεις pedum et genuum plurimum conferre. Exsiccat, enim, inquit, multum digerit, et calefacit, si post ustionem cinis non lavetur.

Differentiae Ostreorum sunt variae, quae a loco et colore sumuntur. *Locum* si spectes, sunt 1. λιμνόστρεα ut Aristoteles vocat, quae in stagnis marinis nascuntnr. Rondeletius ea ex duabus testis componi ait modice concavis, et parum in dorsum elatis, foris inaequalibus et asperis, in tenues laminas facile sectilibus, intus laevibus et candidis. Testas parvas esse; carnem mollem, suavem, concoctu facilem. Differentiae.

2. *Littoralia*, quae in littoribus (πρὸς ἠόσι) inveniuntur: nec non saxis limi et aquae dulcis expertibus. Parva sunt, dura et acria.

3. *Pelagia*, seu marina, quae in mari nascuntur, parva et rara. Grandescunt quidem syderis ratione maxime: sed privatim circa initia aestatis multo lacte praegnantia, atque ubi sol penetrat in vada. Haec videtur caussa, quare minora in aliis locis reperiantur. Opacitas enim prohibet incrementum, et tristitia minus appetunt cibos. Sunt aliquando in Mediterraneo multa simul connexa, et supra se posita. Inter haec repunt Scolopendrae, et vermes in canaliculis inclusi vivunt. Testae foris sordidae et luto obductae, et ex crustis multis sive laminis constantes, intus laeves et albae. Caro mollis: circa eam fibrae multae veluti fimbriam constituentes, eam aliquando ambien-

Plin. H.N. l. 32. c. 6.

biente purpureo crine, quae praestantiae nota est, authore Plinio, qui Calliblephara dixit.

4. *Britannica*, quae omnibus praeferuntur, quaeque Massarius post Lucrina inventa fuisse, et Ruputina Juvenali dici putat. Juven. Satyr. 4.

5. *Santonica*, quae magis salsa et acria judicantur.

6. *Burdigalensia*, inter quae Medokina ab oppido vicino Medoë, dicta, capite nigra, suavitate praecellunt.

7. *Circaea*, quae ab Horatio commendantur. Horat. Satyr. 4.

8. *Abydena*, quae olim a ganeonibus celebrari solita, Clemens Alexandrinus in Paedagogo prodit.

9. *Lucrina*, a Lucrino Campaniae lacu, in sinu Bajano, prope Puteolos ita dicta, de quibus ut et de Britannicis ita Plinius: Nondum Britannica serviebant littora, cum Orata Lucrina scilicet littora nobilitabat: postea visum tanti in extrema Italia petere Brundusium ostreas: ac ne lis esset inter duos sapores, nuper excogitatum, famem longae advectionis a Brundusio compascere in Lucrino.

10. *Brundusina*, de quibus ita idem: Gaudent peregrinatione transferrique in ignotas regiones. Atque ita Brundusina in Averno compasta, et suum retinere succum, et a Lucrino adoptari creduntur.

11. *Cumana*, quae Strabo praestantissima facit. Nihil interim de suburbanis circa Venetias et Adriaticis, quibus Bembus teste Calcagnino palmam dedit, dicemus. Plinius paucis meminit, dum inquit: Dicemus et de nationibus, ne fraudentur gloria sua littora, sed dicemus aliena lingua, quaeque peritissima hujus censurae in nostro aevo fuit. Sunt ergo Mutiani verba quae subjiciam: Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Getulicis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, ficciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circiensibus.

Quantum ad *Colores*, rufa sunt in Hispania, fusca in Illyrico, nigra et carne et testa Circaeis, quibus palma mensarum diu tributa est. In mari rubro flammeis illustrantur Zonis, ea ut diceres varii coloris temperatione ad colorem iridis accedere; adeo lineis perpetuo ductu inter se distantibus distinguuntur. *Meliora* ita descripsit Plinius. Praecipua habentur in quacunque gente spissa, nec saliva sua lubrica, crassitudine potius spectanda, quam latitudine, neque in luto capta, etsi ea Veneti caeteris antecellere opinentur, neque in arenosis sed solido vado, spondylo brevi atque non carnoso, nec fibris laciniosa, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam; ambiente purpureo crine fibras, eoque argumenta generosa interpretantur, calliblephara appellantes. Jovius maxime probari tradit, quae magnarum navium carinis adhaerent, et ab urinatoribus de manu colliguntur. Praeter haec sunt adhuc Ostrea *Sylvestria* et *Gaideropoda*. Illa vulgus in Provincia Scandebec vocat, propterea quod sapore sunt acri, ed ideo delicatorum labra calefaciunt et urunt. Testa sunt pellucida, partibus quibusdam flavescente, alias purpurascente, foris crinita et crispa, intus splendida, levissima, candidissima. Carnem habent parvam, salsam, subamaram, et insuavem.

Facit horum Athenaeus mentionem, multique alimenti esse dicit, sed virus olentia, et ori ingrata. Reperiuntur in mari mediterraneo. Testa in fucis mulierum lapidis specularis vice usurpari potest, et exsiccantibus pulveribus utiliter admisceri. *Gaideropoda* quasi pes asini dicitur apud Graecos, qui gaideron hodie asinum vocant. *Testa* ejus, describente Bellonio, eximio naturae artificio, superior inferiori infarcta est, ut quibusdam veluti cardinibus annexa, nigroque nervo in ejus medio inter tubercula et sinus coaptato, vincta ac constricta esse videatur. Athen. Dipnos. l. 3. Aldrov. l. 3. c. 68.

Tubercula quoque superiora duobus acetabulis inferioribus bene correspondent, ut et inferiora superioribus. Proinde apertas Gaideropodas, si quis

si quis attente intuebitur, in his branchias, (hoc certe ridiculum est, nullum enim ex testaceis habet) et stomachum et reliquas partes nutritorias contemplabitur: imo etiam auriculas fungi crispi figuram referentes, magnitudine grandioris acetabuli, polypi, quae dilatari ac contrahi soleat: umbilicum vulgus esse putat. Rondeletius haec pro spondylis, qui Athenaeo τραχήλοι, ἀπὸ τῆς τραχύτητος, id est, ab asperitate dicuntur. Meminit eorum Plinius et Galenus, interque ostracoderma recenset; Macrobius etiam, qui inter coenae Pontificalis prima fercula numerat; sed et Columella, qui inter testacea reponit. Duplici spondylus, secundum Rondeletium *testa* constat, intus cava et laevi: foris scabra, ad ungulae asini formam rotundata, latiore parte, quae et inferior dici potest, tenuior est, et multo minus densa, minus concava, arcta valde et firma articulatione connexa: utriusque enim testae binae apophyses sunt, sive tubercula, quae binis acetabulis vicissim recipiunt et recipiuntur: vinculo medio nigro et valido cohaerent. *Caro* interna ostreorum carni similis est: circa hanc fimbriata membrana. Intus caro, sed durior, et virus olens. Adnascuntur saxis, et ita haerent, ut nonnisi malleo, aut fracta saxi parte capiantur. Rondeletius idem, in saxis Fresconiis Agathensis sinus parvos reperit. Reperiuntur in eis cancri parvi. Aldrovandus aliquot spondylorum genera exhibet, interque illa elegans quoddam, plurimis extra tuberculis obtusis praeditum, ab uno latere rubicundis, ab altera inter viridem et caeruleum ambigentibus, quibus tamen rubra etiam permiscentur tubercula: summum caput seu vertex candicat. Intus circulus satis conspicuus colore viridescente totam fere concham prope extremitatem ambit: dein color sequitur castaneorum, dein albus et subviridis. In medio velut umbilicus est, addito luteo constans.

PVNCTVM IV.

De Pectinibus.

TAB. XIV. Nomen.

Pectines, si Gyllium sequimur, a rugis seu imbricaturis illis, quibus signati sunt, ita dicuntur. Plinius aliquando a pectunculis distinguit, nonnunquam utrumque promiscue nominat. Graeci κτένες nominant, ob manuum et pedum similitudinem, ut Nicandri interpreti placet.

Descriptio. Arist. H. A. l. 4. c. 7.

Descriptiones exactas in differentiis dabimus, hic dicere sufficiat, bivalves et clusiles esse, ut apud Aristotelem legimus, seque concludendo tueri: pectinatim eis divisas testas; ideo Athenaeo ῥάβδωτον, et τραχόστρακον dici: utraque parte auritas, easdemque reseratiles esse. Nam ab altero latere nodo ligantur, ovum dictum altera tantum parte eis fieri: Athenaeus eis ostrea, in quibus nascuntur, margaritae contulit. Sponte in arenosis et limosis locis proveniunt: in sinu vero Aquitanico et Normannia capiuntur frequentissime. Anno autem perficiuntur. Temporibus pluviosis proveniunt plurimi, quod et aliis testatis accidit. Nam squallore pectines magis trahunt rufum colorem. Jamque in Pyrrheo Euripo pectines aliquando defuerunt, non modo propter ferramentum, quo piscatores abradendo ubertim caperent, verum etiam propter siccitates. Quae autem ova in iis appellantur, quamvis vere iis insint, moxque procedente tempore minuantur aboleanturque, tamen nihil ad generationem conferunt, sed indicium sunt nutricationis melioris, quale in sanguineis pingue est. Oculi ut ostreis nulli, Conchis dubii, sic pectines, si quis digitos adversus hiantes moveat, contrahuntur ut videntes. Volare sagittae, modo, nisi forte hoc ad Loliginem pertineat, Plinius prodidit: sed et stridere sentiuntur, quoties per summa humoris nitibundi feruntur. Massarius per aëra volare negat. Cum enim, inquit, callo illo interiori ambae testae connexae sint, ut difficile divelli

Athen. Dipnos. l. 3. Plin. H. N. l. 9. c. 51.

Plin. H. N. l. 9. c. 36. Plin. H. N. l. 9. c. 39.

divelli queant, non possunt ita libere aperiri, ut volare valeant etc. Tanta tamen velocitate dehiscunt: ut ex vehementi repercussione saliant, et superjactent, ut quasi volare videantur.

Usus. *Usum in Cibis* quod attinet, fuere olim apud antiquos celebres, nec in Cotyis convivio omissi. Celsus et Archigenes stomacho aptos faciunt. Galenus succum alvum ducere non aliter ac serum lactis scribit. Xenocrati dulces sunt, ac facilius ostreis concoquuntur. Magis assati, secundum eundem, minus succi habent et difficulter excernuntur: in testis suis si assentur, minus hujus incommodi habent, facilius alunt, et valentiores sunt. Nativam autem dulcedinem in muria conservant et urinam movent: ac candidi quidem et lati sunt dulciores atque albi duri; rufi virosi et urinam cient: varii autem medii sunt, et eorum aliqui fucis similes, qui per se dati difficulter concoquuntur, et tamen urinam movent. Diphilo candidi molliores sunt.

Locorum varietas bonitatis differentiam invexit. Methymnaeos a plerisque gulae amatoribus suis temporibus expeditos Clemens Alexandrinus testatur. Varro pectunculum Chium, inter cancrum ciborumque exquisitas delicias comprehendit. Horatius Tarentinos laudat, ideo in eorundem numismatibus frequenter occurrunt. De reliquis ita Xenocrates. Pectines, inquit, optimi sunt, qui ad justam magnitudinem pervenerunt, cavi, colore nigriore: praestant autem vere ac aestate, siquidem eo tempore ad Lunae incrementum optime augentur. Omnibus autem antecellunt Mytilenaei, magnitudine, natura, humoris bonitate. His similis Ionium mare juxta Illyrida, Hetruriam, Salonas, et Latium producit. Jam vero et Chios et vicinae insulae, item Alexandria ejusmodi pisces ferunt. Pontus quidem etiam multos fert, sed minutos et qui aegre augeantur.

Clemens Paedag. l. 2.

Varro in Satyra.

Usum in Medicina si spectes, Trallianus in colico affectu dari jubet. Plinius urinam ciere, et quae in vesica sunt moderate detergere scribit. Ad Venerem excitandam non minus valent quam ostrea.

Plin. H. N. l. 32. c. 9.

Differentiae pectinum sunt variae: sunt *magni*, quibus altera valvularum latior veluti tegmen superposita est: sunt et rufi, candidi, versicolores, candidi et lati: sunt utraque parte auriti, alterutra tantum, nulla, si Bollonio fides est. Ex auritis, quidam utramque aurem habent magnitudine; alii minores aures habent quam caput testae; quidam tam magnas, ut ab una aure ad alteram ducta linea, caput testae non tangat, sed potius emineant aures; alii denique una aure minores. Duos Rondeletius descripsit: *Priori*, testa est qua parte aurita, strictior, deinde amplificata in orbem circumagitur, altera modice cava et in dorsum elata, altera veluti alterius operculum. Intus carnis multum habet, quae circa medium etiam carnosum, longum, tenerum, alligata apparet. Inest in carne particula luteum ovorum colorem referens. Spectantur, μήκων, et os tubae modo factum, atque intestinum tenue luteo plenum. Tota caro in ambitu membranam habet veluti fimbriam versicolorem, ex qua fila et multa et tenuia dependent. Huic similem Aldrovandus ponit, testa ferruginei diluti coloris, fasciisque ferrugineis. *Alter* superiore est toto corpore longior et strictior, amplioribus auribus, utraque testa pectunculorum Burdigalensium modo concava. Aldrovandus plurimas earundem figuras, auriculis et colore differentes exhibuit, interque eos versicolorem, castaneum eburneum, et croceum, qui auriculam unam habet satis latam proportione animalis, rudimentumque alterius. *Eburneus* in summitate macula quadam rubra condecoratur, cui alia lutei coloris insidet. Est et *asper* colore fusco, cujus Iconem adjicimus.

Differentiae.

PVN-

PVNCTVM V.

De Musculis.

TAB. XV. *Aldrov. l. 3. c. 70.* Nomen.

TESTACEA, quae vulgariter Musculi vocantur, Plinius quandoque myias, aliquando myiscas, nonnunquam myscos, saepe musculos appellat. Athenaeus μύας, Aristoteles ἐλάττους μύας, vocant, moderni Graeci μύδιον, id est, parvum musculum dicunt: nos musculos simpliciter minores appellamus. Rondeletius ita eos describit. Sunt ex ostracodermorum genere, quae tenui testa et duplici conteguntur, circa saxa aut ligna nascuntur piles, et veluti lana alligantur. *Testa* foris nigra, fere semper vel musco vel lanugine obducta, intus laevis et splendens, ex albo caerulea, parte acutiore crassior et spissior, reliquo ambitu rotundo tenuior. *Caro* intus pallida, cum non cruda est, cocta vitellis ovorum similis, in ambitu fimbriata, in eo foramen est evidens ad attrahendam aquam, neque enim per villos trahit: in media carne est particula carnosa linguae similis: inest et mutis, et pituita quaedam glutinosa, callo albo adhaeret. Reperiuntur et in mari et in aqua dulci stagnante: nunquam vero fere in rapidis fluminibus.

Usus. Ubique fere *in Cibum* cedunt, sed optimi sunt Ephesii. Marini commodum praestant nutrimentum: qui in aqua sunt dulci, carne sunt dura, concoctu difficili, pravi succi. Laudatissimi qui in inferiore Germania ex Oceano Germanico capiuntur. *Medicinam* si spectes, ad ciendam alvum et urinas multum praestare vult Athenaeus, cui Celsus adstipulatur. Marinum tritum ex oleó vetere talorum tumoribus et doloribus impositum mederi, Marcellus Empiricus reliquit. Aquatiles ad nebulas oculorum in jumentis adhiberi, testis est Gesnerus. Uruntur super carbonibus, et corium externum detrahitur usque ad medium, quod album apparet: additur Zingiber, et chalcanthum paribus portionibus, et ex his mistis, pollen in oculis equi inflatur.

PVNCTVM V.

De Mytulis.

TAB. XV. *Aldrov. l. 3. c. 71. Dioscor. l. 2. c. 7.*

MYtulorum nomen a Graecis mutuavere Latini, μυτίλους eos illi vocant. Dioscorides testam ipsam μύακα dixit: animalia Oribasius myacas; Athenaeus μύας σκιλλώδεις, quod scyllam quidam ex iis resipiant; Aristoteles μύας πυελώδεις, non soliatos a figura, ut Gaza vertit, nec latioris et amplioris conchae, ut Niphus, sed in imo maris, seu gurgite nascentes, ut Rondeletius, nisi forte πηλώδεις, quod in limosis producantur, dici debeant, ut Gesnerus innuere videtur. Jovius cum Tellinis eosdem esse censet, sed falso, ut in sequentibus apparebit. Dioscorides sane, Galenus, et Aegineta distinxere, ideo separatim de utrisque agunt.

Descriptio. *Descriptionem* inter Differentias quaere. Generatio. Sponte naturae in arenosis proveniunt, quod ante Plinium Aristoteles prodidit: *Arist. de gener. l. 3. c. 11.* prodire tamen et aliqua ab ipsis emissa facultate, (buccinae et purpurae, quae favare dicuntur, id est quasi a seminali natura humores quosdam mucosos emittere) vel potius sobole, quippe minores subinde juxta principium adnascuntur, Massario ex ipso Aristotele visum.

Usus. Reperere et *in Cibis* locum, tam elixi quam assi. Crudi virus et scyllam resipiunt. Elixi, et acrioribus quibusdam, ut sinapi, nasturtiove conditi, illud deponunt. Assi, sitim vehementer excitant. Deteriores sunt qui in locis arenosis, aut inter testas figlinas proveniunt, quam qui in algosis gignuntur. Autumno et *Plin. H. N. l. 32. c. 9.* ubi multa dulcis aqua miscetur mari, bonitatem servant, procedente tempore amaritudinem trahunt, et colorem rubrum. Optimi quoque mytuli, quando illa sic vocata ova continent. Jus corpus augere Plinius reliquit: eodem sues, teste Lemnio, *Lemn. de Nat. mira. l. 3. c. 7.* pinguescunt.

Majo-

Majores duri ſunt, ideo concoctu difficiles: ſanguinem procreant craſſum, ſuccumque non adeo bonum: copioſe tamen alunt, et ventrem urinamque cient.

In *Medicina*, eaſdem cum Muſculis facultates habet. Carnes ad canis morſum valere ſcribit Dioſcorides, ſed repugnat Galenus. Juri multum Plinius tribuit. Myacum jus, inquit, traditur alvum et veſicas exinanire, et interanea diſtringere, omnia adaperire, renes purgare, ſanguinem adipemque minuere. Itaque utiliſſimi ſunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus etc. Concha ad excipiendum oleum loco cochlearis utuntur.

Plin. H. N. l. 32. c. 9.

Differentiae.

Differentias aliquot apud authores invenias. Sunt enim, ſi locum ſpectes, alii *Marini*, alii *Fluviatiles.* Hi marinis ſunt ſimiles, in eo tamen differunt, quod minores ſint, ſubrecti appareant, atque humi pinnae modo inſigantur. Sedem non mutant, grandi hiatu ſuas teſtas pandunt, easque reſeratiles et cluſiles, tenues, intus glabras, pictorum coloribus accommodatiſſimas habent. Guſtus ſunt ingrati. *Marini*, ut Bellonius habet, villos extrorſum habent more pinnae, ab ea teſtae parte qua ſcopulis haerent, per quos alimentum exſugunt, atque arenas et marina dejectamenta attrahunt. Cancrum pinnae modo in concha nutrit, orbicularem, parvum, ſuis ſic membris abſolutum, ut et incedat et alatur, et ova excludat grandi lente multo majora et craſſiora; humi accumbant, cum tamen glandes ſive muſcioli adhaerendo pendeant. Differunt et magnitudine, rotunditate, et guſtu. In majoribus cancelli, ut dixi, naſcuntur cancelli. Salem viruſque reſipiunt quidam. In eo vero a caeteris oſtracodermis differunt, teſte Ariſtotele, quod tenuia labra habeant. De magnitudine trium vel quatuor heminarum, quod apud Plinium legitur, nil dico. Videtur hoc Phocae vel Lepori marino competere, vel in genere conchis debere adſcribi.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 4.

Aldrovandus plura earum genera cum Iconibus exhibuit, inter quae eſt Caſtaneus, Niger cum tuberculo adnato, alter cum ſtriis ſlavis. Fluviatilium alium majorem, alium minorem dedit.

PVNCTVM VI.

De Tellinis.

TAB. XV.
Aldrov. l. 3. c. 72.
Nomen.

Tellinarum nomen Athenaeus Latinorum mytulis tribuit, Plinius pectunculis illa, quae Tellinis a Dioſcoride adſcripta ſunt. Nos hic illas intelligimus, quas moderni Graeci ξιφύδρια, Lesbi incolae Chinades, Galli Narbonenſes et Romani Tellinas, ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι, quod ocyſſime perficiantur, Veneti Capparazole, ſive Capparole, a capparis ſimilitudine, appellant.

Deſcriptio.

Deſcriptio inter differentias quaeratur. Non tantum in mari, et portubus undis agitatis degunt, ſed et fluviis. Locis vero arenoſis maxime delectantur.

Uſus.

In *Cibis* laudem prae caeteris teſtatis meruere. Plus ſucci habet earum caro, quae etiam reliquarum carne mollior. Recentes, ſecundum Dioſcoridem, ſtomacho ſunt utiles, ſed maxime jus earum. Elixas, dulces eſſe, earumque jus alvum ſolvere Oribaſius prodidit. Venetiis, Genuae, et Romae ruſtici in ſaccis per urbem circumferunt, quas modiolis divendunt. Cum enim exiguo corpore (verba ſunt Bellonii) conſtent, nec facile aperiantur, guſtuique gratae ſint, mirum in modum ob id expeti bellariorumque loco aſſumi ſolent, inprimis, ſi ab arena optime repurgatae fuerint. Marinae inprimis, et in his tenuiores, quae Athenaeo Baſilicae commendantur; et quod Caſtor Durantes ventriculo noxias eſſe ſcribit, de fluviatilibus forte ſumendum eſt. Sitim certe iſtae excitant, calculosque gignunt: Oribaſius tamen majores eſſe, et plus ſucci habere, Aegyptias inprimis, ſcribit. Clauſae ſale ſparguntur, et per teſtas humorem trahunt.

Oribaſ. 2. Coll.

Durant. in Theſauro ſanit.

In

In Medicina uſtae cinerem relinquunt cauſticum, adeo, ut is cum cedria myxtus et inſtillatus, evulſos radicitus palpebrarum pilos renaſci prohibeat. Aretaeus in Iliaco affectu jus ipſarum propinari jubet. Pueris ad ſonum tubae imitandum uſui eſſe, Athenaeus prodidit. Sopater etiam in Comoedia, quae inſcribitur Eubulotheombrotus ſcribit: At reſiſte, e Tellina repente ad meas aures ſuavis quidam ſonus illapſus eſt.

Galen. de ſimpl. med. II. 38.

Athen. Dipnoſ. l. 3.

Differentiae.

Quantum ad *Differentias* et *Genera*, Athenaeus alias Marinas, alias Fluviatiles, ſeu quae in fluviorum oſtiis reperiuntur, fecit, et addit, in Canopico oſtio et Nili aſcenſu multas eſſe. Illarum λεπτοτέρας ſeu tenuiores Baſilicas idem vocat, et alvum ſubducere, beneque nutrire ait. Hae, quia majores, Baſilicarum nomen mererentur, niſi expreſſa Athenaei in contrarium verba eſſent. Bellonius Baſilicas ita deſcribit, Laevis eſt Tellinarum teſta, candida, nequaquam ſtriata, crenulis tenuiſſimis denticulata, in longitudine diffuſa et anguſta mediocriter fortis et quodammodo teres. Rondeletius duas etiam ſpecies ponit, quarum una duplici teſta conſtat, utraque ſimili, laevi, valida, et ſatis ſpiſſa, in ambitu ſerrata, qua de cauſa ad unguen conjunctae ſunt, intus leviter cavae; altera, in oſtio Araris fluminis invenitur, in ſinu Agathenſi, ſuperiori ſimilis, niſi quod teſta ſit majore, minuſque ſpiſſa, et ex rubro flaveſcenti parte, qua teſtae colligantur, in acutiorem angulum deſinente. Addit et Tertiam, colore candido, teſta pellucida, ex additamentis multis conflata, intus laeviſſima. Tenuis admodum, et ambitu magis rotundo. Aldrovandus plures appoſuit, inter quas ſunt nonnullae cum dentalibus; una etiam teſta diaphana et fragili; alia cinerea, lineis purpureis tranſverſalibus.

PVNCTVM VII.

De Balanis, et Pholade.

TAB. XV. *Aldrov. l. 3. c. 3. 73.*

Nomen.

Balani ſeu glandes, a glandium ſimilitudine nomen obtinuere. Pollicipedes Bellonius vocat, quia vulgo poulſepieds dicuntur, quod pollicum in pedibus ſimilitudinem habeant.

Deſcriptio.

Deſcripſit eas ita Rondeletius. Id genus glandem eſſe colligimus, quod illi cum glandibus magna ſit ſimilitudo. Nam ut glandis quercus vel Ilicis pars prior levis eſt, et in acutum tendit, poſterior aſpera; ſic haec, quae ſaxo exhibemus affixa, poſteriore parte, qua ſaxis haerent, rugoſa ſunt, et aſpera, glandiumque caliculis, poſteriorem earum partem arcte retinentibus ſimili. Plura ex una radice pendent e ſaxorum rimis. Ex teſtaceorum genere ſunt. Pars enim prior, longa, rotunda, ex duabus teſtis componitur, colore et laevitate unguium, in medio rima eſt, ex qua capillamenta quaedam veluti plumae rubeſcentes prodeunt. Concha una veluti ex multis acutis unguibus conſtat, tota in quinque digitorum longitudinem accreſcit. Craſſitudine ſunt pollicis in Hiſpania, in Britannia Aremorica minores. Pars poſterior, quae ſaxo alligatur, corio duro aſperoque potius quam teſta conſtat, ex nigro flaveſcit. Plura in Differentiis vide.

De *Loco* non eſt quod multa addamus. In Hiſpaniae parte ea, quo Oceano alluitur, in Normannia et Britannia frequentiſſimi ſunt, perque vicinas urbes et pagos divenduntur. Racematim Oceani caudibus adhaerent. Locus.

Laudantur in cibis, tanquam optimi ſaporis ab Epicharmo, et qui mirum in modum faſtidia ſtomachi ſublevent, et mulierum malaciis accommodentur. In convivio, quo Lentulus flamen Martialis inauguratus eſt, nigros et albos appoſitos eſſe, Macrobius teſtatur. Elixi ex aqua

ſalſa pulpam habent duriuſculam, quam auferunt, ſiniſtra tenentes radicem, ad quam alligantur, dextra vero caput arripientes: quod poſteaquam contorſerint, pulpam a theca extrahunt, ut ambiens corpus relinquatur vacuum calami modo. Pulpa autem quae inde egreſſa eſt, lumbrici modo oblonga, rubra, teres, aceto piperato maceratur ac manditur, Archigenes quoque apud Galenum ſtomachicis convenire ſcribit.

Differentiae. *Differentiae* et *Genera* eorum recenſentur aliquot. Sunt 1. *Majores*, quos ex Rondeletio ſuperius deſcripſimus. 2. *Minores*, qui naſcuntur in ſaxis et rimis navium, quae diutius immotae uno in loco manſerunt. Adnaſcuntur etiam mytulis. Striatae ſunt, foramen habent, e quo veluti frondem emittunt, multae ſimul naſcuntur. Intus parum carnis continent, et parvae ſemper manent. 3. *Aegyptii*, qui ad Nili oſtia capiuntur, et ſunt, teſte Athenaeo, dulces, teneri, ori grati, copioſi nutrimenti, multi ſucci, diuretici, et ſolvunt alvum. Aldrovandus etiam quoſdam exhibuit, interque hos, multos modice rubeſcentes, ſimul adnatos; a Gigante ſibi communicatos, eosque ſtriatos; Oſtraceum quoddam, quod merito polyceps dici poſſit, quoniam veluti ex multis Balanis compactum eſt, laeve rubeſcens, balanum denique ſeſſilem, qui in parte inferna, ubi inſidet, maximum habet foramen.

Pholades ἀπὸ τȣ̃ φωλεῖν & φωλεύειν, quod in cavernis et latibulis condantur, ſuum obtinuere nomen. Et recte ita in ſaxis latent, ut iiſdemque undique contegantur, per foramen vero exiguum et ſenſui vix patens, aqua nutriuntur. Miſſum eſt, inquit Rondeletius ad me alio ex littore ſaxum, in quo nullae rimae, nullae cavernae, ſed foramina tantum apparebant tam exigua, ut vix aciem admitterent. Eo igitur ictibus multis confracto, cavitates internae multae erant vario ſitu, et diverſae magnitudinis, in quibus conchas iſtas reperi. Teſtis conſtant duabus longis, non in latum extenſis mytulorum modo, ſed rotundis. Intus eadem fere eſt caro, quae in mytulis. In ſaxorum cavernulis, vel vi vel natura factis, aquae marinae appulſu procreantur, atque in concham vertuntur, quae cavitatis ſeu foraminis figuram ſervat. In portu Veneris multae occurrunt. *Aldrov. l. 3. c. 34.*

Uſus. Nullus earum praeter Athenaeum meminit; qui eaſdem palato ſuaves, ſed mali ſucci et viroſas facit.

PVNCTVM VIII.

De Solene.

Tab. XV. Nomen. Solen Euſtathio ἐκ τȣ̃ σέω καὶ τȣ̃ ὅλος σοολὴν et per craſin σωλὴν, dicitur, Graecis vocatur αὖλος, a canalis ſive tubi ſimilitudine, δόναξ, a figura arundinis craſſae, concavae, quae Cypria arundo Dioſcoridi; Dactylus, ab humanorum unguium ſimilitudine; Ὄνυξ denique ſeu unguis, ab extremis, tenuitate et figura unguibus ſimilibus, vel a teſtae colore et ſubſtantia unguibus noſtris non diſſimili. Veneti Cappam longam nominant, Bononienſes piſcem canellam. Uſus. In *Cibis* a pauperibus adhibentur. Galenus dura carne eſſe dicit, et ob id difficulter concoqui, propriumque hoc ipſis et Purpuris, ut refert Niceſius, quod cum in juſculo coquuntur, id craſſius reddunt. In ore mandentium relucere Plinius ſcriptum reliquit. His natura, inquit, in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarere, et quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque in ſolo atque veſte, decidentibus guttis, ut procul dubio pateat, ſucci illam naturam eſſe, quam etiam miremur in corpore. Splendoris cauſam glutinoſo Solenis ſucco adſcribit Rondeletius, ſiquidem quae tenacia et veluti glutino compacta ſunt, ea laevia, aequalia, ac perpolita eſſe ſolent, atque ob id relucentia. *Diſpeſcuntur* in *Mares* et *Faeminas*.

Illos

Illos Plinius Solenes, Aulas et Donacas vocat, has Onyches. *Mas* secundum Rondeletium, ex Concharum longarum est genere: duplici constans testa, laevi, tenui, altera tantum parte colligata nigro vinculo, etiamsi aliter scribat Aristoteles. Cum enim διθύρων alia sunt altera parte ligata, altera soluta, ut claudi et aperiri possint; altera utroque latere connexa, in his postremis Solenas numerat, cum contra semper altera parte solutos videas. Dodrantali sunt longitudine, pollicis crassitudine, harundinis modo cavi, extremis duobus semper apertis: anteriore caput exerit, et retrahit testudinis ritu, secundum testae longitudinem carnem protensam habet. Testa caeruleo est colore, lineas evidentes habet per transversum ductas, qua parte colligatur; crassior est, aliis partibus in tenuem substantiam desinit, ut mytuli. Aqua et arena vivit. Carni facultatem urinae ciendae inesse Plinio scriptum: sed quia glutinati succi est, metuo ne erret. Differt ab isto *Mas Rondeletii*. Est enim lineis miniaceis, per transversum variegatus, in altera quoque Conchae extremitate, linea lutea apparet. De *Foemina* ita idem Rondeletius. Onychas appellat Plinius Solenes foeminas, quae colore, sapore, magnitudine, a maribus differunt, in aliis omnino similis. Testa lineis caeruleis distincta non est, ob id Plinio unicolores dicuntur.

Arist. H. A. l. 4. c. 4.

Usus. Caro dulcior est: sed vix comedi potest, nisi ab arena repurgata. Sumuntur frixae et elixae, melioresque in prunis tostae, quoad hient. Rondeletius deteriores existimat, quod sint exsuccae, duriores, et icciores. In arena stare Bellonius tradidit, sed cum omnia silent sursum e profundissimo foramine emergere, et in id sese postea abdere, unde postea nisi palla ferrea in transversum supposita, et profundissime impacta avelli possint, id quod et Plinius, et ante eum Aristoteles vidit.

CAPVT IX.

De Pinnis.

Tab. XVI.

Nomen. Pinna, Graecis πίννη et πίννα, quod semper sordibus obducta sit, dicitur. Hermolaus Concham Aegyptiam cognomine Paralios, a Democrito Pinnam vocari scribit. A quibusdam Agnus castus vocatur. Neapolitani Pernam, Veneti Asturam, vocant.

Descriptio. *Descriptiones* in Differentiis vide. Ex duabus testis componuntur, et a mytulorum figura non admodum differunt. Cancri etiam in illis hospitantur. Rondeletius tantam Romae se vidisse scribit, ut ad cubiti magnitudinem accederet.

Locus. *Locum* si spectes, in Acarnania Pinna oriri et uniones gignere Plinius testatum reliquit. In mari an sint, ambigit Bellonius, et Rondeletius in locis, in quibus mare fluit ac refluit, vix reperiri scribit. Venetiis non visitur: sed in Propontide ad latera ejus sinus, qui Nicomediam fertur, qua terram pertingunt, frequentia magna existit. In ruinis Nicomediae civitatis reperiri, Bellonius author est.

Natura. *In Cibo* comparando, Cancellum semper aut Squillam comitem habent, sua sede non dimoventur, quin pereant; nisi iterum eodem statu humi defigantur. Nam cum eis natura haec insit, ut rectas stare, et per villos arenulam attrahere necesse sit, jacentes vivere non possunt. Naturam ejus optime versibus Philes expressit, id cujus testa et uniones et byssum reperiri testatur.

Usus. *Usum in Cibis* quod attinet, Athenaeus eas urinam pellere, difficileque concoqui et distribui dixit. Ovum, quod secundum Aristotelem continent; pro lunari potestate, aliquando minus, non ad generationem confert, sed melioris nutricationis indicium est.

De carnis dotibus ita Wottonus: Pinnae, inquit, optimae sunt, te-

nellae, plenae, carnosaeve, quae in limosis (τεναγώδεσι) vadis gignuntur; et ubi mari dulcis aqua miscetur, et locis tranquillis, ac ventis carentibus: teneriores enim hic nascuntur, quam ubi fluctibus agitantur. Grandioribus parvae; et quae vere et aestate capiuntur, aliis praestant. Sunt enim et svaviores et pleniores. Quae magnitudine media sunt, carnem quidem habent mollem, candidam, ac dulcem: collum durum, concoctu difficile, corruptionique renitens, Collo namque corpus reliquum facilius corrumpitur: elixis assae duriores evadunt, praesertim si vino fuerint aspersae. Earum quae in vino maceratae sunt caro, mollior est, sed flatum generat.

Differentiae. *Quantum ad Differentias*, Rondeletius tres differentias agnovit, Bellonius duas, Aldrovandus quatuor posuit.

Rondeletii *prima* est Minima, mytulis similis, nisi quod strictiorem partem multo magis acutam et longam habet. Testa foris aspera est, colore fusco, intus viridi, et argentei splendoris, si in arena vixerit Pinna; si in coeno, colore est magis flavescente, et minus splendente. Ab inferiore et strictiore parte in amplam latitudinem extenditur: illic arctissime clauduntur testae, hic facile discluduntur. Intus multum est carnis, cujus omnes fere partes indiscretae. *Alteram* Pernam Plinio vocari scribit. Pernae, inquit isti, Concharum generis, circa Pontias insulas frequentissime stant, velut suillo crure longo in arena defixae, hiantesque qua limpitudo est, pedali non minus spatio.

Cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos. Intus pro spondylo (spondylus seu callus caro durior et interior ostreorum est.) Ejus generis hanc esse in qua uniones nascuntur, ex Theophrasto Athenaeus tradit.

In Gallico mari inveniri, et in ea uniones parvos author est Rondeletius. *Tertia* minor est, et eo differt, quod antequam acuta et stricta parte in amplitudinem extendatur, excavata sit.

In coenosis et arenosis locis vivit defixa: et carnem intus duram habet, quae virus resipit.

Bellonio altera *Major* est, altera *Minor*. Haec foris magis albicat, intus ad caeruleum accedit. Mollibus in gyrum spiculis obtusis hirta est, valvasque continuo cardine toto latere annexas claudit ac reserat, qua parte planior esse constat; qua autem se in latum expandit, eadem byssum est veluti capillamentum quoddam coacervatum praedurum ac nigrum, quod lapillis affigitur, limumque ac spurcitias inde ad stomachum attrahit. Illam Pernam vocat, quae pelagia est, rugis profundis caret, duriore testa contegitur, et bipedalis saepissime invenitur. Pinnophylacem, ut minor, alit: uliginoso ac palustri tractu nascitur: profundiore gurgite immergitur, et multum ingrati saporis habet.

Ex *Aldrovandi* pinnis *prima* est aculeata, coloris rubei: *Altera* pinnae parvae Rondeletii similis cum capillamentis: *Tertia* pinnae Pernae genus. *Quarta*, parte interna et externa depicta, testa foris fusca, rubra, et aspersa; intus sanguinei, et caerulei coloris. Datur et *quinta* cum tubere verrucoso intus adnata. *Aldrov. l. 3. c. 76.*

Pinnis adde *Conchas anatiferas*, diversi generis. *Prima* tribus partibus constat cum umbilico annexo. *Altera* quinque partibus cum umbilico. *Tertia*, aperta est, eique umbilicus inseritur. *Quarta*, hiulca est ea parte, qua primum plumulae prorumpunt. *Quinta*, foetum intra vulvas situm ostendit. *Sexta*, foetum imperfectum e valvis exemptum. *Septima*, Berniclam avem adultam, ex ejuscemodi Concha natam.

ARTICVLVS VI.

De Conchyliis Univalvibus.

PVNCTVM I.

De Lepade seu Patella.

TAB. XVI. et XVII. *Aldrov. l. 3. c. 79.* Hactenus de Bivalvibus dictum: Univalvia sunt, *Lepas*, *Concha Venerea*, *Concha Persica*, et *Penicillis*. Ad priorem *Auris marina* pertinet. *Lepades*, Plauto, nisi mendum subest, Lopades, quibusdam Graecis πωμάτια, modernis Petaglides, vel quod sint petrarum in mari quasi λεπίδες, id est, squammae quaedam; vel quod petrae cum eis spoliantur, veluti λέπεσθαι ἢ λεπίζεσθαι, hoc est, desquammari videantur, dicuntur. Gaza Patellas, a vasis escarii similitudine, ut Rondeletius autumat, exponit. Inter μονόθυρα censeri debere, nullum dubium. Saxis testa in dorsum data adhaerent: ideo Aristoteles alteram partem superficiei detectam, carnem ostendere dixit. Os ipsius versus terram, et excrementorum exitus superius habetur: Papaver quoque in imo, sive in suo fundo habent. Bellonius scribit tanta esse magnitudine, quanta extrema ovi putaminis pars abscissa esse potest. Colorem *testarum* livere vel cinereum esse, cornuaque limacis instar exerere, et os, et caput habere huic persimile. Plura in Differentia vide.

Nomen.

Descriptio.

Locus. *Locum* si quaeris, in saxis littoris Aquitanici et Britannici, nec non Massiliensis et Agathensis sinus scopulis inveniuntur. Circa Lepadusas insulas tam frequentes, ut nomen iisdem dederint, si Athenaeo credimus. A saxis solvi, pastus quaeritandi gratia, Aristoteles author est, cui et Bellonius, dum cochlearium more serpere ait, subscribit. At Rondeletius id negat. Nullis enim, inquit, ad natandum partibus praedita est, nisi temere huc et illuc undis jactata feratur; neque victus illi quaerendus, nam maris spuma et aqua vescitur, qua alluuntur saxa. Quod si aqua allui saxa desinant, ea quae in testa relicta est absumpta, contabescere et emori tandem necesse est. Tam se fortiter attactae saxis applicant, ut ne Milonis quidem digitis, avelli possint. Cultro igitur aut aculeato ferro opus est, inter ipsas et saxa immisso, quod ad oras Oceani Aremoricorum pueri facere solent, prodente Bellonio. *Aelian. H. A. l. 6. c. 55.*

Usus. *In Cibis* crudae a piscatoribus et maris accolis usurpantur. Coctae facilius concoquuntur, modo non nimium decoquantur. Jus alvum ciet. Usum earum et ad capiendos cibos esse, ex hoc Tarentini videre licet. Obsonii σολάτος dicti, praeparatio in mari cujus vi in unum locum statim omnes pisces conveniunt.

Ex mari *patellas* accipito, earum scilicet, quae circa saxa nascuntur: quarum quidem contundes carnem, exprimesque, et ea in testa aliqua inscribito, quae sequuntur:, subitoque non sine magna admiratione videbis pisces in unum locum fluere confertum. Sunt vero ipsa nomina ταώ, σαβαώθ, quibus sane ichthyophagi utuntur.

Differentia. *Dividitur* in *magnam*, Maris rubri *parvam*, et *feram*. *Major Rondeletii* testam habet non exquisite rotundam, sed inaequalem, intus laevem, foris parum asperam, cui aliquando muscus innascitur, gibbam in ambitu livescentem et striatam, intus cavam. Carnosam quoque fimbriam in corporis ambitu quam expandit quum haeret, soluta contrahit. Interius subest caro dura, qua maxime saxo haeret, quae scuti picti formam refert. Os superiore in loco manifestum est, inferiore ori adverso, excrementi meatus, non in testa, ut in ea, quae ἄγρια dicitur. Os venter sequitur, in eo est μήκων, in imo ventre etiam pars, quae ovum dicitur *Maris Rubri* lepas Bellonii, tabellis, quas in tergo gerit, corneis numero octonis, transversis,

verſis, loricae modo contegitur, atque undequaque cartilagine obſepta eſt, multis ſpinulis horrida, iis perſimilibus, quae in ſtellis marinis viſuntur: ſeſquidigitum lata eſt, ternos vero longa. Caro rubri limacis colorem ac naturam habet, eſturque cocta. *Parvae Rondeletii* teſta media nucleis pinearum nucum figura ſimilis eſt, et aequalis. Ex laminis parvis conſtat: Carnem intus habet, ſed ob parvitatem partis vix diſcernuntur.

[*Aldrov. l. 5. c. 81.*] *Fera*, λεπὰς ἄγρια, et *auris marina*, θαλάττιον οὖς ob magnam cum aure noſtra ſimilitudinem, teſtam habet cavam, argenti vel unionum colore: foris gibbam, lineis multis depictam: parte una, cochlearum modo claviculatim contortam, a qua foramina incipiunt, initio parva, quae deinde magis ac magis augentur. Differt a majore excrementi meatu, quod ut annotavit Ariſtoteles, parte ima teſtae excrementum egeratur, qua foramen habetur. Bellonius majorem vocat. Quia teſta pellucida et perpolita eſt, ideo ab aurifabris in tenues laminas diſſecatur, ut inde elegantiſſima vaſa incruſtentur. Aldrovandi Cypria major ſtriata et non ſtriatam ad majorem Rondeletii referri poteſt.

PVNCTVM II.

De Concha Venerea.

[TAB. XVII. Nomen.] Concha Venerea nomen forte ex eo invenit, quod non modo Veneri grata, ſed et ob communem originem e mari cognata, crederetur; [*Aldrov. l. 3. c. 82.*] celebriſque eſſet ejus Deae effigies, atque haud ſcio an ex hoc genere, ut Gelenii verbis utar, pede premens. [*Martial. l. 14.*] Martialis Concham ſimpliciter vocat, Hyle Poëtria Concham Erythraeam, ſine dubio, quod circa mare rubrum frequens ſit. Bellonius in vico nomine Tor viginti camelos his conchiliis rotundis onuſtos ſe conſpexiſſe prodit, et Cairi incolas iis ad laevigandam papyrum, et telas coloribus permixto gummi confactas uti. Ideo eidem Laevigatoria dicitur. An Belliculi marini, ὀμπελέρικοι θαλάσσιοι Myrepſi, ſeu ut quidam vertit, Umbilici marini recte a Pharmacopaeis nonnullis dicantur, dubito.

Putat enim interpres lapides intelligi exiguos et candidos, in littore maris repertos, umbilicum hominis referentes abſtergendi facultate praeditos, quos alii fabas marinas dicunt. Cordus Dentalium nominavit. Ennius forte, citante Apulejo, *Matriculos* [*Plin. H. N. l. 9. c. 25.*] Mutianus apud Plinium *Muricem.* Nec aliud quid ſibi χοιρίναι Graecorum volunt, quamvis eas Ariſtoteles praeterierit. Expreſſe enim, eas Conchas marinas, quibus utebantur Athenis, ante calculorum uſum inductum, Scholiaſtes Ariſtophanis vocat: ne dicam, Pollucem quoque idem atteſtari. Galli *Porcellanas* appellavere, ſeu a quadam oris ſuilli ſpecie, ut Geſnero placet, quam parte ſui inter labra denticulata dehiſcente, vel potius altero extremo teſtae, nempe acutiore et eminentiore, roſtri ſuilli inſtar, quodammodo referunt: ἢ διὰ τῷ μορίῳ γυναικείῳ πῶς ἐοικέναι; τῇ τε μεταξὺ τῶν χειλῶν σχίσει; καὶ τῇ ἐνδοτέρῳ κοιλότητι τῇ μήτρᾳ. Sane nutrices apud Varronem maxime naturam, qua foeminae ſunt, appellant Porcum, et Graeci, eadem ſignificatione Chaeron ſive Delphaca. Uterinos etiam calculos, qui hoc genere minores ſunt, vulgus Germanorum appellat. Minimam aliqui Corvinam aut Corviolam dixere.

[Deſcriptio.] *Deſcriptio* ſi attendatur, Latior eſt, ſecundum Mutianum purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice concha, utroque ſe latere colligente. Teſtam omnibus admodum duram eſſe vel inde agnoſcas, quod nunquam eam arroſam comperias. Tota intus candida eſt, foris colorum varietate inſignis, in diverſis conchis, politiſſima et aequabilis. Os ipſi eſt in ambitu denticulatum, inque ejus lateribus canales breves, per quos linguam exerit. Plura in Differentiis.

Usum in quibusdam concha sola invenit. In pillulis de bdellio ad alvum stringendam reperitur: quamvis Monachi Mesues interpretes matrem perlarum supponi jubeant. Turcae et Cairi incolae quomodo eis utantur, superius diximus. Galli ad suspendendas claves et conficienda cochlearia utuntur. Aethiopibus loco monetae inservit. Ideo in tanto apud eos pretio, ut saepe aurum pro ea permutent, saepe filios suos vendant. In Concha majore faciem sculptam et pulchre expressam se vidisse, Gesnerus testatur.

Differentiae. *Differentias* Concharum plurimas apud Rondeletium, Gesnerum et Aldrovandum invenies. Rondeletius quatuor habet.

Prior ovi est figura, in testae extremo utroque foramen habens, alterum cibi gratia parum prominens, alterum ad excrementa rejicienda. Remoram Mutiani esse credit.

Secunda, testa est tenuiore et magis perspicua, varia quoque, et pro maculis inspersis lineolas habente, Concha simplice utrinque sese colligente.

Tertia, parte plana compressa magis est, maculis rotundis notata, durior secundo, colore candido.

Quarta, parte altera est in tumorem elata, in quo circulus aurei coloris. Alioqui tota foris est candida, intus caerulea.

Gesneri rufa major et minor non multum a Rondeletii abeunt. Illa nusquam inniti potest, nisi parte plana, quae candida est, ut intus quoque gibba, quae haemisphaerium constituit, rufa, maculis nigris distincta. Laevitate ita resplendet, ut imagines reddat, sed obscure. Minoris dorsum in summo varium est, albis, pallidis, et glaucis maculis. Pars interna candicat.

Aldrovandus, tredecim species, si non plures ponit, ex quibus *una* tota ex rufo candicat, et maculis per totum dorsum oblongis et ferrugineis aspergitur: alia lutescebat primo et maculis purpureis ornabatur, in humido detenta pallidior evasit, postquam superioris corticis cuticulam exuisset. *Tertia* maculis per dorsum aterrimis rotundis et inaequalibus tingebatur. *Quarta* subpurpureis, amethystinis et caeruleis. *Reliquas* ibidem vide. Nos hic tres depingi curavimus. Quam Lusitani et Aethiopes Buzios dicunt, undiquaque alba est, nisi quod in dorso lineae binae flavent, in ovalem fere speciem conjunctae, et dorsum ipsum inaequalium quam caeteris et gibbosum, ita ut illi quoque testa incumbere possit, sed oblique. Pars interior e roseo ad caeruleum redit.

Huc *Concham Pérsicam* et *Penicillos* refero. Illa a loco nomen sumsit. Est majore sui parte rubicunda, caetera candida. Margaritas proferre proditur. Minor tota cinericii coloris est. Tubulos testaceos *Penicillos* recentiorum nonnulli vocavere. Molli quadam et laxa substantia saxis alligantur, ita ut aquarum undis cedat et agitetur. Cum id carnosum, quod nimirum intus latet, se exerit, frondem expandit, sunt et in quibus vermes delitescunt, quorum sex Icones hic damus. *Aldrov. l. 3. c. 84.*

HISTO-

HISTORIAE NATVRALIS DE EXANGVIBVS AQVATICIS

LIBER IV.

DE ZOOPHYTIS SIVE PLANTANIMALIBVS.

CAPVT I.

De Urticis.

Tab. XVIII. *Aldrov. l. 4. c. 1.*

Nomen.

Quartum Exanguium aquaticorum genus sunt Zoophyta, quae Aristoteles τὰ ἐπαμφοτερίζοντα φύτῳ καὶ ζώῳ, seu ambigentia plantae et animali, ut Budaeus et Gaza vertunt, appellat.

Talia vero sunt, *Urtica*, Pulmo marinus *Holothuria*, *Tethyia*, *Malum granatum*, *Fungus*, *Pyrus*, *Mentula marina*, *Penna marina*, *Uva marina*, *Malum insanum marinum*, et *Manus marina.*

Urticae, ab urendo Latinis dicuntur, quod manum urere videantur, si ea tangantur. Graecis ἀκαλήφαι, seu tanquam ἀπολοῦσαι τὴν ἀφὴν, id est, sensum corrumpentes, seu tanquam ἀπάλαι τῇ ἀφῇ, id est, tactui molles ac lenes, sed per antiphrasin, asperae quippe sunt et infestae, dicuntur. Vocantur et κνίδαι, ἀπὸ τοῦ κνίζειν, hoc est, δηγμὸν καὶ κνησμὸν τινὰ ἐμποιεῖν τῶν ἁπτομένων χέρσι, *morsum aut pruritum excitare tangentium manibus:* nec non μετρίδια, a similitudine, quam cum muliebri pudendo habent: Colyzenae quoque a modernis, quod colis, id est, pedunculis suis, Polyporum more firmiter adhaereant. In Italia *flammae maris*, apud Trottulam, *Carnes marinae* dicuntur. Jovio urticae et vertibuli haud sine errore iidem sunt.

Descriptio. *Arist. H. A. l. 8. c. 2. et 4. c. 6. Plin. H. N. l. 9. c. 45.*

Descriptionem generalem si spectes, *Os* in medio habere, quod in majoribus evidentius esset, prodidit Aristoteles. Excrementa nulla in iis cernuntur, et hac re stirpibus sunt similes. Summa tenui fistula reddi, apud Plinium legimus.

Locus. *Arist. H. A. l. 8. c. 2. Plin. H.N. l. 9. c. 45.*

Diversa diligunt *Loca*, et in variis generantur. Quaedam enim nunquam absolvuntur, sed saxis semper adhaerent, reliqua quae vagantur, littoribus et planis locis gaudent. De saxo, quasi de testa vivunt, et praenatantes pisciculos excipiunt retinentque, Plinius carne vesci scripsit. Idem Urticis *gignendi* modus qui testa inclusis: per rimas enim, et cavernas, et fauces saxorum oriuntur, ut tradit Philosophus.

Natura. *Plin. H. N. l. 9. c. 45.*

De *Natura* earum ita Plinius: Contrahit ergo se quam maxime rigens, et praenatante pisciculo, frontem suam spargit, complectensque devorat. Alias marcenti similis, et jactari se posse fluctu algae viae, contactos attritaque petrae scalpentes pruritum (Dalechampius legit, petras scalpentes ob pruritum) invadit. Eadem nocte pectines et Echinos perquirit: dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat et contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque si fuit intervalli, absconditur.

Usus. *Arist. H. A. l. 4. c. 6.*

Comedebatur olim, ut nunc etiam: quanquam Pythagoras abstinere discipulos jusserit, vel quod Veneris stimulos afferre diceretur: vel quod Hecatae sacra esset. Ab Aristotele post aequinoctium hyemale magnopere laudatur. Hoc tempore plurimas ligneo veru transfixas, et aliquantulum assatas, primum ex sale et aqua fervefaciunt: deinde farina conspergunt, et ex oleo vel butyro in sartagine frigunt. Secundum Xenocratem gratae sunt ori, sed stomacho admodum insuaves: (Diphylus tamen εὐστομάχους facit) sed assatae elixis accommodatiores. Alvum cient, urinamque magis movent. Cum passo aut vino mulso facile concoquuntur et excernuntur. *Medicinam* si attendas, ajunt in vino potas calculosis prodesse, ut author est Galenus.

nus. Cum aceto fcyllitico pfilothrum conftituit.

Differentiae. *Differentias* varias apud authores invenias. Ariftoteli aliae funt corpore parvo, quae cibo aptiores: aliae majufculo duroque. Aliae finuofis adhaerent, quae nunquam a faxis abfolvuntur: aliae plana littora amant, quae fuis abjuncta fedibus vagantur. Idem apud Athenaeum habetur. Secundum Rondeletium, aliae faxis vel cuilibet rei alteri adhaerent; aliae minime. Rurfus earum, quae faxis vel alteri rei haerent, alia perpetua ftabilique fede illic degunt, quae funt Urtica parva in rimis faxorum latitans: quae Purpuris et Buccinis adnafcitur: quae cinerea eft, longisque cirris conftans: Aliae fedes mutant, et libere per mare feruntur natantque, ut purpurea urtica. Semper folutae funt, quas vulgo Potes appellant. *Parva*, juglandis magnitudinem vix fuperat. Tota carnofa eft, cirros breves habet, contracta recti inteftini extremum refert, colore vario eft. Quaedam enim caerulea, alia viridis, alia fubnigra, fed punctis aliquot caeruleis vel flavis vel rubris notata. Graecis κολέκαινα dicitur. *Cinerea* a colore nomen fortita eft. Tenuis eft admodum, quia frondem magnam, id eft, cirros multos habet, carnis parum. In Saxorum rimis vivit, comam femper explicatam habet, nec unquam contrahit.

Arift. H. A. l. 5. c. 16. et 1. c. 1.

Athen. l. 3.

Utraque fcopulis littoralibus, et iis potiffimum marinis tractibus, qui ventorum impetum minus fentiunt, tam pertinaciter inhaeret, ut, nifi primo impetu divellatur, vix poftea, nifi in frufta concifa, dirimi poffit, adeo fuas trichas arctiffime contrahit. *Purpurea*, feu Phoenicea, Rofa quibufdam, aliis Pofterol, quod contracta recti inteftini extremum cum mufculo fphinctere feu podicem referat, eft primae fimilis, nifi quod frondem et longiorem et copiofiorem habet.

Purpuris et buccinis adnafcens, partem exteriorem habet duram et rigidiufculam, fpiffioremque quam in aliis urticis, cirros breviffimos in ambitu. In exterioribus ejus partibus filum longum deducitur purpureo colore, tam jucundo tamque fluido infectum, ut cum pretiofo illo Purpurae fucco certet. Ideo hanc a cane Herculis demorfam fuiffe Rondeletius credit. Datur et *in Lepade nata*, de qua Ferrantes Imperatus ita fcripfit. In dorfo effe fex rimas ftellam aemulantes: in medio dorfi foveam parvam cum figura quadam inclufa Conchae rhomboidi fimili, fuftinerique a lateribus lepadis mediante membrana continua, et cavitatem, quae eft in animali, non habere aliud intermedium, quam membranam. A parte anteriore confpici fructum Lepadis inftar penicilli pictoris in fe revoluti.

Ad priores illas referri *Bellonii* poffunt, quarum quaedam rubro colore fuffufa eft, altera magis caerulea, granulis in gyrum circumfeffa. Utraque marinum tuber *contracta* refert, *explicata* Caefariem totum corpus rotundum ambientem: nam infinitis cirris, antennarum papilionibus, aut fcarabaei craffitudine conftat.

Huc etiam fpectat Aldrovandi *Contracta*, *Cinereae Rondeletii congener*, quae etiam faxis adnafcitur, cirris tenuibus: *pilei fere forma*, colore tota coccineo, excepta fummitate, quae eft viridis, cum nigra rotundaque macula: et quae ex *leporis marini genere*, coloris partim purpurei, partim albi.

Urtica foluta, feu *Potta marina* vulgi, quod fpeciem quandam mulieris vulvae repraefentet; Graecis Mongi, inhonefto etiam vocabulo, quod, ut fcribit Bellonius, partibus verendis admota, pruritum ac Venerem, imo etiam ampullas excitet, dicitur. Cum jacet, omafo fimilis eft: cum erigitur, pulmo videtur, et adeo tanquam vitrea et lucida eft, ut fine fectione interiora omnia videre poffis. Sufpenfa, quandam Polypi imaginem gerit, nifi quod brachia tenuiffima et craffiffima habent. In partibus, unde pedes oriuntur, quofdam meatus arenarum plenos Gyllius vidit. Formam fuperne rotundam,

Aldrov. l. 4. c. 2.

inferne concavam refert Maſſarius, ut Conchae videri poſſint; Cirros ex imo emittere ad modum Polypi.

Differentiae.

Duo hujus apud Rondeletium *genera*. Primum ita deſcribit: Pars una veluti fungoſa quaedam maſſa, rotunda, cava, in medio perforata, purpurea veluti faſciola ambiente, pileum plane refert: altera parte Polyporum pedibus ſimilis eſt. Octo enim pedes habet craſſiuſculos: extremis partibus quadratos, in acutum deſinentes, nullas interiores partes diſtinctas habet. Corpore eſt adeo pellucido et ſplendido, ut oculos offundat. Ad eam magnitudinem accreſcunt, ut pileos, quibus viatores uti ſolent, ſuperent.

Alterum, quatuor duntaxat pedes ſeu frondes habet, qui foliis acanthi comparari poſſunt: in altera parte lineae ſtellatim diſponuntur. Hujus generis illa quoque videtur, quam *Bellonius* ita deſcripſit. Mollis quidem et alba corpore cartilagineo, ac cryſtalli in morem pellucido, quod in mucorem facile reſolvitur. Gibbam habet inſtar dimidiatae ſphaerae figuram, glabram, pollicis craſſitudine: cujus pars interna nervis rectis a medio incipientibus, quaſi ſtriis fulvi coloris in gyrum radiatur, quibus ſe diffundit et conſtringit: qua corporis commotione aquam concutit, et nunc in pronum, nunc in ſupinum effertur. Pinnarum vice pinnis tenuibus et aegre conſpicuis in orbem communitur, ut Lepus marinus. Cruciformes quoque cirros, ſtriatos, craſſos, in modum ſtellae radiatos, numero quaternas, parte interna natationi accommodatos habet: quas ut exacte conſpicias, erit in lebetem aquae ſyncerioris conjiciendus: qui ſi ſupinus devolvatur, multas fiſſuras in radice cirrorum oſtendet.

Os quoque habet parte prona ſitum, quo ea, quae venatur, abſorbet, in quem uſum quatuor cirri ad ejus latera ſubjacent, coloris ſynopidis, quaſi ejus branchiae eſſent, vel inteſtina. Hinc fit, ut intuentibus pulmonem in mari pabulandi gratia divagantem, grandis videatur quaſi pituitae globus, qui unicum tantum colorem referret, niſi rubris illis quatuor circulis ſigillaretur, et ea cruce, qua interna pars ſtriata eſt, diſtingueretur.

Ad primum genus referenda eſt *Urtica* ſoluta *Mathioli*, quam hic damus. In fruſta diviſa, ac in mare conjecta, vivit nihilominus ac movetur: extra mare exanimis apparet. Emortua in alto mari, ac in littus ejecta, transparentis glaciei ſimilis eſt. Omnes pruritum in pudendis et uredinem in manibus movent, et acrimonia ſua Venerem extinctam et ſopitam excitant.

CAPVT II.

De Pulmone marino, et Holothuriis.

TAB. XIX. et XX. *Aldrov. l. 4. c. 3.* *Ariſt. H. A. l. 5. c. 15.*

Inter Teſtacea quidem Pulmonem marinum poſuiſſe Ariſtoteles videtur: Plinius tamen inter Zoophyta recenſuit, quem nos ſequimur. *Pulmo marinus* dicitur ita, vel a pulmonum noſtrorum figura, vel ab eorundem ſubſtantia laxa, et molli, foraminuliſque plena. Kiranidis interpres Cunnum marinum exponit, et ſic pro Urtica ſoluta, ſed falſo, ſumere videtur.

Sane decoctum pulmonis commendant Medici: at Urticae ſubſtantia eſt nimis mollis, et pituitae cretae ſimilis, qua in aquam abit; et nec in cinerem redigi, nec in aqua decoqui, corpore aliquo ſuperſtite poteſt.

Deſcriptio. *Plin. H. N. l. 8. c. 35.*

Deſcriptionem ejus vix ex antiquis obtineas. Plinius per mare ferri ubi imminet tempeſtas, pluriumque dierum hyemem portendere ſcripſit: Epheſius vero non adhaerere, ſed abſoluta eſſe, addidit. Commendantur ad pilos evellendos. In aceto putrefacto et mento aſperſae carnes, fugam illorum facere dicuntur. Cinis alligatus egregie profluvia purgat. Decoctus vero in aqua, calculoſis medetur.

Plin. H. N. l. 32. c. 10. detur. Lignum si eo confricetur, ardere videbitur, ut sua luce facu-lam quoque vincat. Rondeletius invenit substantiam quandam saxis haerentem, corio duro et nigro in-tectam, intus mollem fungosam et fistulosam aplysiarum modo. Vel inquit pulmo marinus dici potest, corpus quoddam rotundum, pilae marinae modo, virescens, foris sub-stantia filtro simile, intus totum fi-stulosum, veluti spongia aplysia. In mari aqua plenum est et grave: ex-tra mare in se concidit, et flacce-scit: in saxorum rimis delitescit et inter algas.

Aldrov. l. 4. c. 4. *Holothuriorum* nomen unde ve-niat, nescimus. Pauca etiam de iis veteres. Saxis soluta esse, sed im-mobilia, asperoque corio contegi. Rondeletius *duas* nobis *icones* exhi-buit, cum his descriptionibus. Id genus, inquit, quod hic proponi-mus, altero extremo obtusum est et planum, in quo rosae sculptam imaginem dicas, circa quam sunt acetabula. Inde parva appendix et mollis dependet. Pisculentum odo-rem resipit, nec minus ingratum et insuavem ac lepus marinus: altero extremo tenuius est; intus, partes omnes sunt indiscretae. Altero ex-tremo caput habere videtur rotun-dum, os in medio rotundum, rugo-sum, quod aliquando dilatatur, ali-quando constringitur. Sequitur cor-pus crassius, aculeis multis rigens: videtur in caudam deficere, ex cu-jus utraque parte duae sunt appen-dices pedum pinnarumve loco, sed differentes. Superior enim strictior est, in ambitu incisa, in acutum de-finens, ad quam a cervice produ-cta est linea; altera latior ubique. Harum beneficio motum habere videtur, cujus prorsus expers est primum genus: quod aliquando acetabulis suis saxis haeret, sed solvitur.

CAPVT III.

De Tethyis.

TAB. XIX. et XX. Nomen. Tethyia seu ut Plinius vult, Te-theae, veteribus Graecis τήθεα, et τήθυα, modernis Spherdocles, a sphaera sine dubio; Adriatici sinus accolis spongiae, quia, cum premun-tur, spongiarum instar, aquam fo-raminibus reddunt; Tarentinis, pro-pter formam et parvos quosdam anfractus verticilla; aliis a colore et tumore, seu quod nullis fibris, ut Tubera terrena niti crediderint, Tubera; quibusdam, quod callosa materia tegantur Calli; nonnullis, sed falso, idque ex comparatione patere potest, Urticae vocantur. Gaza cum Holothuriis confundit, Eustathius et Homeri scholiastes τὰ τήθεα ab Ostreis non distin-guunt. Nicander τὰ τήθη, patellas feras explicat.

Descriptio. Arist. H. A. l. 4. c. 2. Aristoteles ita eas descripsit. Quae Tethya sive callos speciali nomine a teguminis qualitate appellamus, na-turam inter haec genera (Testato-rum) peculiarem sortiri notum est. Iis enim solis corpus toto tegumento includitur, cujus durities inter te-stam et corium est: quamobrem mo-re praeduri bubuli tergoris secatur. Adhaeret id genus saxis sua testa. Duo a se invicem distantia forami-na habet, admodum exigua, et vi-sum vix patientia, quibus humo-rem accipit et reddit. Excremen-tum enim nullum in eo spectatur, quale in caeteris Ostreis, vel Echi-naeum, vel quod papaver vocatur. Dissecanti ea tibi primum occurret membrana nervosa Carnaceo cor-pori obducta.

Hac enim, corpulentum tethyi continetur: idque a caeteris omni-bus dissimile; suo in genere omnibus similis ejusmodi caro. Haeret hoc duobus locis et membranae et corio ab latere: quaqua haeret utraque parte pressius est: quibus partibus tendit ad meatus ipsos, qui proti-

nus per ipſum calicem extrorſum ducunt: atque hac emittit, atque exigit tum cibum, tum humorem, perinde atque ſi hic os ſit, ille autem exitus excrementi. Atque horum alter craſſior eſt, alter tenuior. Intus autem in parte utraque ſinus diſſepti, continua re puſilla quadam. In eorum altero humor ineſt. Caeterarum partium, quae vel inſtrumenti nomine vel officio ſenſuum, ac ne excrementa quidem cujusquam modi qualia in aliis ſunt, quicquam habent. Et haec quidem Ariſtoteles. His addit Rondeletius, non ſolum petris, ſed et Oſtreorum teſtis affixa eſſe, et in illis veluti duros tumores cerni. Ovi, addit, figura ſunt aliquanto longiore. Teſta extra fuſca, inaequalis, rigida, intus argentea, laevis. Tethyorum caro membrana alia alba involuta ventriculi formam refert, rotundam ſcilicet et oblongam, meatus craſſior et amplior gulae proportione reſpondet: alter minor podice. Colore uterque eſt rutilo vel ruſo, reliquum corpus croceum.

Locus. In Aegypto nulla inveniuntur. In Smyrna praeſtantiſſima. In Oceano ad Gallicum littus ſunt frequentia, Pariſiisque in foro piſcario ſaepe Oſtreorum teſtis adhaerentia viſuntur. Signantur etiam in cavernis ſaxorum: maxime vero in coeno et littoribus, quae phyco algave marina abundant. Inveniuntur et in muſco marino, aut aliis in herbis foliisve marinis. Unde Plinius. Tetheae inveniuntur ſugentes in foliis marinis, ſeu potius ſcopulis. Hinc Euſtathius τήθη dicta conjicit a verbo θῶ, quod ſignificat θηλάζω, quod et pro lactare et ſugere accipitur. Fungorum verius ſunt generis quam piſcium: et quia nullum viſcus intus habent, ſed carnem uniformem, nihil de animalis natura habere videtur.

Motus. Motum et ſenſum qui illis ineſt ab interno provenire, cum multa Conchylia et Cruſtacea intus habeant, a quibus motus provenit, Plinius author eſt.

Uſus. Rubra cibo ſunt idonea: pallida vero aut ſublutea amarulenta Maſſarius prodidit. Xenocrates plurimum dare alimenti tradit, coriaque maxime eorum non confici.

Medicinam ſi attendamus, torminibus et inflationibus ſuccurrere, et teneſmum diſſolvere renumque vitia; in cibo ſumpto lateris dolores lenire, apud Plinium habemus. Conferunt etiam iſchiadicis ventrique ſuperiori una cum ruta: item cachecticis, quorum corpus macie conficitur cum ruta et melle.

Differentiae. *Aldrov. l. 4. c. 5.* Quantum ad *Differentias* et ſpecies quatuor Aldrovandus poſuit. *Prima* parte externo et interno pyri formam aemulatur, et colore eſt cinereo: ablataque cuticula ſubſtantia apparet denſa poris exiguis, vixque viſibilibus referta, per quos aqua attrahitur, et per univerſum corpus diſtribuitur. Duo grandiora habet foramina, unum oblongum; alterum rotundum; hoc alvo, illud ori reſpondere videtur. In his quandoque conſpiciuntur Scyllari, Cancelli, et alia cruſtacea; item trochi, turbines et Oſtracoderma.

Altera eſt figura mali, foraminibus duobus; rotundo, quod majus eſt; oblongo, quod minus. In eo Scyllarus continebatur, qui totum fere illius foraminis continebat intervallum. Cauda erat revoluta.

Tertia figura eſt inaequali, tuberoſa: foramine uno oblongo majore, quod in oppoſita erat parte minore. In eo continebatur Purpura, proportione magnitudinis Tethyi, ut etiam exterius corium penetraret.

Quarta, figura eſt rotunda, ſed inferius compreſſa: foramen habet tam exiguum, ut vix conſpici poſſit: Intus, cruſtaceum aliquod, ut in partis ſuperioris foramine conſpicitur.

CAPUT

CAPVT IV.

De Mentula marina.

Tab. XX. *Aldrov. l. 4. c. 7.* Nomen.

Mentula marina Numenio πειρὶν, forte παρὰ τὸ σπείρειν τὰ τέκνα; aliis forte Holothurium, a θορνύεσθαι libidini operam dare, θόρος genituram significat; hinc Rondeletii altera Holothuriorum species virilis genitalis speciem prae se fert; quibusdam Halesurion, quasi ἁλὸς οὐρὰ, marina cauda, Apulejo veretillum dicitur. Albertus cujusdam ostrei meminit, cujus species una virgam, altera vulvam prae se ferret. Moderni Graeci Psoli vocant.

Descriptio. A Bellonio ita describitur. Exangue maris purgamentum est: solutum vagatur. Sed ea ejus natura, ut a piscibus aliis minime tentetur, neque a quoquam in cibo expetatur. Littorale est, neque alibi reperitur, quam ubi Patellae, Ricini, et vertibula degunt. Genitale ex hoc dicitur, quod teres sit, pedem longum, et mediocris brachii crassitudine: Distendit se et contrahit hirudinis in morem. Unde ei et nomen inditum est. Quin etiam rufi coloris est, Iners, nec nisi serpendo incedit, aspectu toroso, Nymphaeae radicis similitudine. Semper ad ima sidit: nunquam natat: contrectatumque in seipsum contrahitur, ac cornu duritiem habet, vixque acuta cuspide pertundi potest: alioqui permolle, dum sua sponte movetur, suas promuscides quando vult, exerit, atque ita constringit, ut ex pedali longitudine vix sex digitos longum appareant. Acetabulis quae in promuscidibus habet, lapidibus haeret; in quibus plusquam quatuor millia nonnunquam annumeres. Ex anteriore autem capitis parte rursus crinitas emittit, veluti arbusculas acetabulis plenas, quibus quicquid palpat, ad os adducit, quod tam amplum aperit, ut vel integram conchulam admittat: vescitur enim omni conchyliorum genere. Ejus recrementa viscida sunt ac lenta, albissima, copiosa, quae tandem indurantur, ut cum fidibus de duritia nervea certare possint. Os in gyrum ossiculis, dentatum habet, praeterea nullis ossibus alibi praeditum. Ab ore gula in stomachum differtur, quomodo in Erinaceo marino dictum est; reliqua ut intestina circumponuntur in gyrum, quae vix observari possunt.

Rondeletius duas species facit. Differentia. *Una* corio duro constat. Dum vivit intumescit et distenditur: flaccescit post mortem. Partes internae indiscretae sunt. *Altera* ex testa spissa, dura, cartilaginea, perspicua et rugosa constat.

Gesnerus duas quoque a Sittardo accepit. *Prior* massa quaedam informis erat, retrorsum ubi crassior altiorque veluti cornu parvum, rugosum, extendebatur: opposita pars humilior, in glande, foramen rubicundi coloris ostendit. *Altera* Epipetrum dictum, informis quoque, inaequalis, et tuberosa, multis acetabulis compacta, colore partim nigricans, partim rubescens et albicans alicubi erat.

CAPVT V.

De Malo Granato, Fungo, Pyro, Penna marina, Uva marina, Cucumere marino, Malo insano, et Manu marina.

Tab. XX. *Malum granatum, Fungus marinus, et Pyrum* a figura nomen sortita sunt. Illud ejusdem est cum Punico coloris. Iste caerulei; hoc ejusdem fere.

Penna marina est pennis magnis, quae in pileis gestare solent, perquam similis. Piscatores Itali ob extremitatis alterius similitudinem *Mentulam alatam* vocant. Est enim ea pars prae-

praeputio, id eſt, glandi ſimilis, altera vero parte pennam refert. Pars illa craſſior, quae glandis ſpecie eſt, rimas aliquot habet, quales ſunt branchiarum rimae in galeis. Quae pennam repraeſentat, feſtucis tenuibus conſtat, quae alumini ſciſſili ſimiles ſunt: iis, ſubſtantia alia quadam tenera innititur. Noctu maxime ſplendet, ſtellae modo, ob candorem et laevorem. Pennam marinam *aliam* rubentem, linea per medium caulem alba, fronde ſimili fere, ſed parte altera, quae fronde caret, longiore, ſimplici, nulla cum glande diſſimilitudine.

Uvae marinae facit et Plinius mentionem, dum ſcribit: Rerum quidem non ſolum animalium ſimulacra mari ineſſe, licet intelligere intuentibus, Uvam, Gladium, Serras. Eſt autem oblonga quaedam et informis maſſa, ex uno pediculo dependens. Partes internae indiſcretae ſunt, inter quas aliquando repeiuntur glandulae parvae. In vino putrefacta vini taedium adfert, ut Plinius prodidit.

Malum inſanum marinum, et *Manus marina*, a ſimilitudine quoque nomen obtinuere.

Cucumis, digiti eſt craſſitudine et longitudine, tuberculis aliquot aſperſis, veluti in Cucumere terreſtri parvo. Partes internas indiſcretas habet.

F I N I S.

I N D E X

In Hiſtoriam de Piſcibus et Cetis, juxta ſeriem Alphabeticam diſpoſitus, in quo litera P. paginam deſcriptionis, T. tabulam denotat.

Carpio

Index.

Lava-

INDEX.

INDEX.

INDEX

in Hiſtoriam de Exanguibus Aquaticis.

INDEX,

Quibus paginis Tabulae piſcium ſunt ſubjungendae.


In Hiſtoria de Piſcibus et Cetis.

NB. *Tabulae tres poſteriores ſuperadditae ſunt, ut iconiſmus piſcium, exhiberetur plenarius. Nimirum, quia prioribus abſolutis in authorum pervolutione, hi in Cluſio, Salviano atque Schonfeldio occurrerunt a prioribus illis differentes, peculiariter eos ſubjicere viſum fuit.*

In Hiſtoria de Exanguibus Aquaticis.


Deficiente ſub initium in typographia Sphalmatum Catalogo, quae in antecedenti editione obvia ſunt, ſat amplo, ſequentia iterum irrepſere menda, quae Benevolus Lector adhuc emendabit.


Pag. 6 a. lin. 10. poſt veteres *adde* praeter. *lin. 27. poſt* quaſi *adde* in eorum, *et poſt* introducerem *adde* ubique. *lin. 28. del.* praecipue. *poſt* aliis *adde* me. *p. 9 b. lin. 7. pro* nationis *lege* natationis. *lin. 26. pro* primo *lege* ſupremo. *lin. 28. poſt* enaſcitur, *adde* quae. *p. 10 a lin. 3. lege* ut poſt in illa. *lin. 31. lege* foetificavere. *lin. 37. pro* ſe *lege* ſed. *p. 11 a. lin. 1. lege* Scolopace. *p. 11 b. lin. 15. pro* Locum *lege* Glaucum. *lin. 14. poſt* id *adde* eſt. *p. 12. lin. 4. et 3. a fine pro* eidem deſtinato-aſſeret *lege* eadem diſtincta-aſſerit. *lin. 2 a fine lege* MDLXV. *p. 13 a. lin. 7. lege* inſtigantur. *p. 13 b. lin. 5. pro* capi *lege* capiti. *lin. 14. pro* cordus *lege* tardus. *lin. 18. pro* Scordulas *lege* Cordylas. *lin. 19. pro* Auxiadas *lege* Auxidas. *p. 15 a. lin. 6. pro* neque *lege* inque. *lin. 12. pro* paſcuum *lege* paſſuum. *p. 16 a. lin. 39. 40. pro* facutatis *lege* facultas. *p. 17 a. lin. 14. poſt* quae *adde* in. *lin. 42. lege* carinae. *p. 17 b. lin. 44. pro* indiciorum *lege* judiciorum.




Tab. I.
Polypus. Polkuttel.
1
Sepia. Black fisch. black kuttel
2
Sepia supina. Meerspin.
3
Loligo maior. groser schmaler blackfisch.
4
Loligo minor.
5
Lepus marinus. Seehas.
6
Oua separum.
7
Sepiola. Kuttelfisch Klein blackfisch.
3


Tab. II.



Locusta marina.
1
Aſtacus marinus com.
2
See Krebs.
Aſtacus cammarus.
Aſtacus seu cammarus.
3
4
See Krebs.
Leo ſeu
Elephantus.
5
Aſtacus paruus marinus.
6
Aſtacus ſimilis pediculo marino.
7



Ast. fluv. ME 33


Tab. IIII.
Astacus flu
1
Edel Krebs
Astacus fluu alius.
2
Squilla lata Rondel.
Squilla lata.
3
4
Carangon seu
Carangon Rondel.
6
Squilla gibba Garner.
5
Squilla parua.
7
8
Squilla Vrsa minor.
Squilla mantis.
9
hoger Krebs.
Squilla.
10
Squilla lata Büren Krebs
Leo
Rondel.
Leu.
11
12
Squilla gibba
alia.
13



Tamaru Guacu.
Cancer marinus. Krab. Tab. V.
1
2
Cancer Anonimus Randel.
Cancer Heracleoticus Randel.
3
4
Cancer maia. meer spin.
5
Hipocarcinus.
6
Cancer Heracleoticus alter.
7
Cancer Crabbe.
8
Cancer Heracleoticus. 3.
9
Cancer Randel.
10
Cancer Krabbe.
11
Pagurus mas. meer spin.
12
Pagurus fœm.
13


Tab. VI.
Pagurus foemina.
Cancer maias.
Pagurus prone.
Pagurus Supiné.
Cancer Varius suive marmoreus.
Cancer flauus suie Undulatū
Aranei marini Species proné.
Aranei m. Spec: Supine.
Araneus supinus alius
Araneus crustae. proné.
Araneus alius.
Cancer brachijochelos. Rondel.
Cancer minutior.
Cancer minut.
Cancer brachijochelos.
Congener.


Tab. VII.



Cancer Mollucensis pronus.
1
2
Cancer Mollucensis supinus.
Cordis figura Cancer.
4
Cancer paruus. alius.
5
Cancer paruus.
3
Cancellus nudus.
6
Cancellus in testa.
7
Cancellus aldrou.
8
Cancellus ruber.
9
Cancellus in Buccino.
10
Scyllarus siue cancell: in Nerite concha.
11
Cancellus oblongus.
Cancellus auena.
12
Cancri Hirsuti Rondel species.
13
14
15
16



Tab. VIII.
Amphisbæna marina.
1
Cancer Heracleotius hirsus proné,
2
Cancer pronus.
3
Cancer Heracleotus hirsutus supiné,
4
Cancer Supine.
5
Craben.
6
Testudo marina.
7
Testudo marina.
8
Stella marina maior.
9
Stella marina tredecim radis.
10
Stella marina minor.
11


Tab. IX.
Guaia Apara.
1
Guaia alia species.
2
Guaia alia.
3
Cunuru.
6
Guaia Miri.
4
Ciecie Panema.
7
Carara Una.
5
Uca Una.
9
Ciri Apoa.
8
Guanhumi.
10
Aratu et Aratupinima.
11
Maracoani.
12
Potiquiquijixe.
14
13
Potiquiya.
15
Paranacare.
Guaricuru.
16


Tab. X.
Polypus.
1
Nautilus.
2
Testa Nautili.
3
Nautili Structura.
4
Purpura.
5
Purpura alia.
6
7
Testa Nautili.
Buccina.
8
Cochlea rugosa.
9
Murex aculeatus.
10
Strombus magnus.
11


Aporrhais. Tab. XI.
Murex marmoreus Rondel.
Murex Orientalis.
Murex Coracoides.
Concha Longa Rondel.
Concha altera.
Turbines.
Concha Indica polita.
Concha echionata cruda.
Trochus magnus.
Trochus Pyramidalis.
Trochi.
Trochi.
Turbo magnus.
Nerita Rond.
Turbo Longus.
Nerites.
Nerites.
Nerites.


Tab. XII.
Cochlea cælata.
Cochlea rugosa et umbilicata.
Cochlea Sarmotica.
Cochlea cælata cum suo operculo.
Cochlea cylindroides alter.
Cochlea olearia.
Cochlea echinophora Rond.
Cochlea cylindroides prior.
Limax marinus.
Cochleæ operculum
Cochleæ operculum.
Cochlea depressa.
Echinus spoliatus a suis spinis.
Echinus Spatagus, et Brissus
Echinus integer
Echinus idem in duas partes dissectus.


Echini quintum genus Rond.
Echinus marinus ferrugigeus.
Echinometra amethestini coloris.
Tab. XIII.
Echini species oblonga aperta.
Echinometra Aldrou.
Concha Margaritifera.
Concha imbricata Rond.
Concha Echinata.
Pina magna.
Concha Tridachnes.
Concha squamosa.
Concha Pictorum.
Concha corallina.
Concha rugata.
Concha fasciata.
Concha Longa.
Concha tenuis testa.
Concha uera cum animali.

Tab. XIIII.


Chama aspera Bellon.
Chama Læuis Rond.
Chama nigra Rond
Chama glÿcÿmeridis.
Chama Peloris.
Ostrea marina.
Ostrea marina Rond.
Ostrea sylvestris Rond.
Ostrea gaidero poda.
Spondylus Aldro.
Spondylis Aldrou.
Pecten.
Pecten Versicolor.
Pecten minor castaneus cum animalj.
Pecten asper.
Pectines alÿ Aldrou.
Pectunculj.




Tab. XV.
Musculus Muſchel.
1
Muſculi Rondel.
2
Musculi Aldrou.
3
Mytuli oblongi.
4
5
Mytulus niger cum ſtrys ſtauis.
6
Tellina
7
Tellina.
8
Tellinæ cum dentalibus.
9
Tellinæ congerentes.
10
Balanus marina. Meer Eychlen.
Tellinæ congeneres.
11
Balanus alius.
12
Balani rubei.
13
14
Balani Gygantis.
15
Balani ſiue Polycipedes.
16
17
Pholas.
Pholas Aldrou.
18
19
Phola concha alia.
22
Solen mascul Rond.
20
Solen fæmina Rond.
21

Tab. XVI.


Pinna magna Rond.
Pinna Perna. minor.
Pinna alia.
Pinna. alia.
Pinna aculeata Aldrou.
Pinna parua Rond.
Pinna s. Perna.
maior.
Patellæ diuersæ.
Pinna alia cum tubere adnato.
Patellæ Aldrou.


Tab. XVII.
Patella Cypria maior non striata. n. 2.
Patella Cypria maior striata. n. 1.
Lepas, siue Patella Bellon.
2
3
Patellæ feræ siue Aures marinæ.
4
5
Concha Venerea.
Concha Venerea Zoographi.
Concha Ven: Rond.
Concharum Venerearum Speciebus.
Concha Persica maior.
Concha Persica minor.
Tubuli in quibus Vermes.
1
2
3
Penicillus Meerbensel.
Penicillus alius.
Vermes in Tubulis.
Tubuli alij parui.


Tab XVIII
Vrtica cinerea.
Vrtica maior.
Vrtica parua Rond.
Vrtica minor.
Vrtica Rond.
Vrtica rubra Rond.
Species duæ.
Vrticarum.
Vrtica marina saxo innata.
Vrtica marina alia triplici aspectu.
Vrtica rubræ Rond.
Lepori marino.
Congener.
Vrtica Contracta Aldrou.


Vrticæ alia species Rond.
Pulmo marinus Mathioli.
Potta Marina
Vulgo prona
et supina parte.
Pulmo marinus Rond.
Holothurius Rond.
Holothurius Rond.
Thetyorum
Species.
Variæ.
1
2
3
4
5
6
7
8

Tab. XX.


Thetyorum sex species Aldrou.
Mentula Marina Rand.
Epipetrum.
Mentula Marina.
Malum insanum Marinum Rond.
Vua marina.
Manus marina.
Meer hand.
Penna Marina Rond.
Meer feder.
Penna Marina alia.
Cucumis marinus. Meer Cucumbre.
Malum granatum.
Pyrum marinum Zoophython.
Fungus marinus Zoophython.